DOCTRINARUM DE DIEBUS DECRETORIIS ET DE URINIS, QUALES RESTITUTO SEMEIOTICES STUDIO SAECULO DECIMO SEXTO FUERUNT, BREVIS EXPOSITIO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA VRATISLAVIENSI
PRO SUMMIS
MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XII OCTOBRIS MDCCCXXXVI
H. L. Q. C.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS FABRICIUS
LIGNICENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. MUZEL, MED. ET CHIR. CAND.
H. EBERT, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE,
Typis M. FRIEDLAENDERI.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

TANQUAM

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI TESSERAM LEVISSIMAM

D. D. D.

AUCTOR.

COPIA LIBRORUM SAECULO DECIMO SEXTO DE DIEBUS DECRETORIIS ATQUE DE URINIS EDITORUM.

A. *De Diebus decretoriis.*

Caesar Optatus: Opus tripartitum de crisi, de diebus decretoriis, de causis criticorum. Venet. **1517**. fol.

Augustinus Niphus: De diebus decretoriis. Argent **1528**. **8**.

J. Güntherus: De diebus decretoriis ac morborum temporibus. Paris. **1529**.

Hieronymus Fracastorius: de causis dierum criticorum per ea, quae in nobis sunt. Venet. **1535**. **4**.

Georgius Collimithius: Artificium de applicatione astrologiae ad medicinam, de convenientia earundem, de ratione dierum criticorum, de diebus criticis investigandis ex figura coeli etc. Argent. **1538**.

Augerius Ferrerius: Liber de diebus decretoriis secundum Pythagoricam doctrinam et astronomiae observationem. Lion **1541**. **16**.

Andreas Thurinus: Hippocratis et Galeni defensio de causis dierum criticorum adversus H. Fracastorium. Bonon. **1543**. **8**.

Lucas Gauricus: Super diebus decretoriis axiomata s. aphorismi grandes utique sententiae brevi oratione comprehensae. Rom. **1546**. fol.

J. de Froset de Val et *Petri le Cointe*: Decretoriorum dierum causa coeli aut lunae motus. Paris **1549**.

Amatus Lusitanus: De diebus decretoriis. Basil. **1556**. fol.

Thomas Boderius: De ratione et usu dierum criticorum opus, in quo mens Ptolemaei tum aliorum Astrologorum dilucidatur. Paris **1556**. **8**.

Claudius Darioltus: De morbis et diebus criticis ex astrorum motu cognoscendis. Lion **1557**. **4**.

Hippolytus Salvianus: De crisibus ad Galeni censuram. Rom **1558**. **8**.

J. Planerius: Dubitationum et solutionum in Galeni de diebus criticis libros.

Lud. Duret et *J. Duret*: Non est dierum criticorum periodus ab astris. Paris **1584**.

J. Zechius: Tractatus de diebus criticis. Bonon. **1586**. **4**.

Jacobus Horst: De crisibus morborum et criticis diebus, mensis et annis. Helmst. **1590**. **4**.

Marcus de Odelis: Totius anni distributio et dierum criticorum supputatio. Patav. **1591**. fol.

Daniel Moegling: De signis crisium. Tubing. **1591**.

Antonius Laurentinus: De crisibus l. III. adjecta praenoscendi methodo. Lion **1596**. **8**.

B. *De urinis*:

Petrus Leo: De urinis. **1514**. fol.

J. Valverde: The seign of urins, of all colours that urin beer of with medycynes anned: an urinal. Lond. **1525**. **4**.

Christoph Clauser: Dialogus, dass die Betrachtung des Menschenharnes ohn' andern Bericht unnützlich, und wie der Harn zu empfahen und zu urtheilen am geschicktesten sei. Die Gestalt der Arten, in welchen die Dinge, die mit dem Harnen vom Menschen abgehen, beschrieben von Joh. Actuario. Zurich **1531**. **4**.

Sebastianus Austrius: Ein kunstreich Urtheil und Sekretbüchlein des Harnes von allerlei Farbenzirkeln sammt dem allernützlichsten aller einfachen und zusammengesetzten Arzneien. Strassb. **1538**. **4**.

Johannes Vessaeus: De judiciis urinarum tractatus ex probatis auctoribus in tabulae forma. Paris **1541**. **4**.

Euricius Cordus: De urinis liber; (übersetzt durch Dryander) editus Francof. **1543**. **8**.

J. Baptista Montanus: De excrementis libri II. utiles ad cognitionem: libri II prognosticorum Hippocratis, unus de faecibus, alter de urinis. Patav. **1554**. S.

Ej. Summaria declaratio eorum, quae ad urinarum cognitionem maxime faciunt, ita ut urinarum vel pulsuum observatio certiores notas salutis vel mortis medico praebeat, utilis enarratio Francisci Emerici **1552**. **4**.

Jodocus Willichius: Urinarum probationes cum scholiis Hier. Reusneri, in quibus principia solidae uroscopiae et multi errores medicorum deteguntur. Basil. **1552**. **4**.

Christophorus a Vega: De urinis liber Complut. **1554**. S.

Fernandus Mena: De urinis commentarius locupletissimus ad Galenum.

Sebastianus Colin: Miroir des urines. Poitiers **1555**. **8**.

Fr. Vallesius: De urinis, pulsibus ac febribus compendiariae tractationes. Lion **1559**. **8**.

Bruno Seidel: De usitato apud medicos urinarum judicio. Erford **1560**. S.

Andreas Nola: Quod sedimentum sanorum aegrorumque corporum non sit ejusdem speciei adversus Ferd. Cassanum et alios etc. Venet. **1562**. **4**.

Diomedes Cornarius: Perversi ex urina judicii aliquot exempla.

Justianus Arcella: De ardore urinae et stillicidio et de micto sanguinis non puri. Patav. **1568**. **8**.

Theophr. Paracelsus: De urinarum et pulsuum judiciis. Colon. **1568**. **4**.

J. Petri Arluni: De lotii difficultate. Paris **1574**.

Robert Greaulme et *Jac. Hautin*: Puris et urinae analoga prognosis. Paris 1575.

Leonhardus Thurneiser zum Thurn: Erfindung und Beschreibung des Harnes auch Erkenntniss des ganzen menschlichen Körpers. 12 Bücher. Berlin 1576.

Ej. *βεβαιωσις του ἀγονισμου* wie die neue Erfindung des Harnprobirens gewesen ist. Ib. 1576. fol.

Alfonsus Dies Daça: De ratione cognoscendi causas et signa prospera et adversa urinarum. L. III. Hispali 1577. 4.

Franciscus Ulmus: De certa ratione judicandi ex urina l. IV. Venet. 1578.

J. Belloforti in Galeni de urinae significatione libros. Paris 1581. 8.

Paulus Flatacher: Vitia aliquorum medicorum de urinis etc. Ratisbon. 1582. 8.

Guilelmus Adolphus Scribonius: De inspectione urinarum contra eos qui ex qualibet urina de quolibet morbo judicare velint. Basil. 1585.

Salustius Salvianus: De urinarum differentiis, causis, judiciis liber. Rom 1587. 8.

Hieronymus Capivaccius: De urinis tractatus editus a L. Scholzio. Servent 1595. 8.

Laurentinus Joubert: De urinarum differentiis causis, et indiciis.

Hercules di Sassonia: De urinis tractatus.

Petrus Forestus: De incerto ac fallaci urinarum judicio quo uromantes ad perniciem multorum aegrotantium utuntur, et qualia sint observanda ei, qui recte de urinis sit judicaturus. Francof. 1610. fol.

Praetor hos libros in maxima parte eorum scriptorum, quae Semioticen in universum tractant urinae et dics critici accuratius contemplantur, quae tamen omnia afferri vetat hujus dissertatiunculae spatium.

CAPUT I.

Historiam rei medicae paululum accuratius contemplanti, vix dubium esse poterit, saeculum decimum sextum, in eorum numero ponendum esse, quae, ut divina nostra ars altiorem dignitatis gradum consequeretur, haud parum contulere. E somno enim alto, mortique fere simili, quo per **1200** fere annos erat sepulta, illo tempore medicina est excitata, nova cepit incrementa, et illis rebus, quae ea indignae essent magis magisque relictis, fundamenta posuit, quibus nixa, eam assecuta est perfectionem, qua nunc gaudet. Uti autem in omnis fere rei evolutione statum praesentem e tempore quod proxime antecesserit originem ducere videmus, sic etiam, quaecunque pulchra ac laude dignissima hoc tempore in disciplinis medicis aut primum prolata, aut magis exculta animadvertimus, eorum fontes in prioribus temporibus, quibus quasi sub tenebris latuere, requirere coacti sumus. Quae cum ita sint, ut artis medicae conditio, quam saeculo XVI prae se tulerit, melius cognoscatur, paululum altius respiciendum esse mihi videtur.

Regno Romano a barbaris devastato ac deleto, literae fere omnes artesque humaniores sunt neglectae et contemtae, Christianaeque fidei ipsi asseclae, quum potentiam essent nacti, injurias quasi ulciscentes, quae antea a paganis sibi erant

illatae, una cum eorum templis etiam egregia antiquitatis monumenta maxima ex parte destruxere, ita ut non nisi in regno byzantino eorum vestigia invenires. Superstitione autem, hierarchiaeque auctoritate aucta, quominus redivivum fieret eorum studium, temporum perversitas impedivit. Sic etiam medicina tunc temporis nullo modo amplificata, sed potius omissis mox iis, quae a veteribus erant relicta, in pejus omnino abiit; per vanas enim superstitiones, caeremonias religiosas et per reliquiarum, quas dicunt, auxilium morbos ut plurimum sanare homines studebant. Neque Arabes, qui quum omnino literas tum vero medicinam, aliorum populorum barbariem fugientem, exceperant, quamquam nec ingenii acumine nec studiorum amore carebant, et historiae et *poësis*, et matheseos cognitionis, haud exigua nobis reliquerunt documenta admiratione dignissima, multum illi quidem arti medicae profuerunt, sed parum tantum ipsi ornarunt eam et promoverunt, ut qui astrologiae et alchemiae nimis dediti, naturae ipsius observationem negligerent, magisque e Galeni scriptis, non admodum bene in linguam vernaculam translatis, eam cognoscere studerent. In reliquis autem terris, quae Arabum imperio non erant subjectae, literae et cum iis medicina in monasteria refugerant in quibus me hercle tantum abfuit, ut cum fructu aliquo colerentur ut vix eam formam servare potuerint, quae a priorum temporum injuria iis relicta esset; grato tamen semper animo erit fatendum, per monachorum sedulitatem, praesertim eorum, qui Sancti Benedicti regulam sunt secuti multos scriptores veteres et classicos et medicos, nobis esse conservatos. — Saeculo autem jam undecimo novam quodammodo rerum formam germinari videmus; meliora hinc inde intento studio ac labore acquiri coepere; principesque postea ipsi non solum literas bonas-

que artes tueri, sed etiam operam iis dare coeperunt; etiam foederata bella, contra Christianae fidei adversarios, quibus terram sacram recuperare studebant Christiani, multum contulere ad cognoscendos aliorum populorum mores et totius orbis terrarum formam immutandam, neque plane medicinae erant aliena; exstiterunt enim ordines quidam equitum, aegrotantium curae deditorum, quorum medicina empirica, a theoria longissime remota fuit, Maximam autem vim ad literarum studium revocandum tribuere debemus universitatibus, saeculo XII primo fundatis, et docendi libertate donatis; in quibus praesertim schola Salernitana summam in medicina gloriam et auctoritatem est adepta. Eodem etiam tempore Aristotelis libri, praesertim logici, auctoris ipsius lingua scripti innotuere, quo facto inter philosophos dialectica iterum ars est restituta, quae pro parte virili scholasticae illi disciplinae, quae mox sequebatur, ansam praebuit; simul astronomiae astrologiaeque studium cum philosophia et medicina conjunctum, a *Michaele Scoto* et *Alberto Magno*, viro de philosophia et naturae studio optime merito, in quandam disciplinae formam est redactum.

Deinceps medicina in dies subtilitatibus scholasticis magis est obruta, et quod observationibus carebat, disceptationibus haud utilibus eas compensare studebat, ita ut sub finem saeculi XIV e superstitiosa Arabistarum astrologia et e subtilissima Galeni dialectica scholasticaque disciplina mixta sapientia esset, quae nonnunquam magis fere insaniae speciem prae se ferret. Uti autem res quam maxime oppositae et contrariae, altera ex parte quam proxime sibi sunt positae, sic etiam proximo jam, quod instabat tempore, novae lucis radii per nubes effulgere coeperunt. Etsi enim philosophia scholastica summum adhuc obtinebat

fastigium et Arabistarum barbaries quam maxime florebat, medicorumque plurimi nullis ipsi observationibus usi in verba jurabant Galeni et Arabicorum magistrorum, animo tamen jam perspici poterant futura literarum artisque medicae melioris conditionis signa. Permultae enim res illo tempore gestae, magnam vim exercuerunt ad omnium literarum liberalium studium augendum ac adjuvandum. Quarta terrae parte detecta, viaque per mare in Indiam inventa, indeque hominum et cognitionibus et divitiis auctis, literarum amor haud parum crevit, et praesertim naturae ipsius cognitio multo est amplificata, plantae animaliaque hucusque incognita, vel in Arabum tantum scriptis parum accurate delineata, in vulgus emanarunt, quae quidem cognitiones adauctae uti omne literarum studium per artem typographicam anno 1436 a Guttenbergio Magontiaci inventam, magis adhuc vulgares redditae sunt, quia libri, antea praedii rustici fere pretium saepe adaequantes, eoque adquisitu difficillimi nunc et numero augebantur, et minori pretio acquiri poterant. — Neque minoris momenti ad omnium bonarum artium literarumque studium juvandum regni Romani orientalis per Turcas fuit expugnatio. Ibi enim veterum monumentorum bonarumque artium, quae priorum temporum saevitia non plane interierant, ultimum fuerat salutis praesidium; subversa ergo Constantinopoli, quod supererat bonorum librorum et antiquae eruditionis classicae in occidentalem Europae partem est translatum, doctique Graeci, e patria fugati, praecipue in Italiam se convertere, ibique amorem et linguae vernaculae veterumque scriptorum classicorum restituerunt auctoritatem; quo facto mox tanta industria literarum flagrabant viri docti, ut nemo fere esset qui non relicta illa saeculi antecedentis perversa latine scribendi ratione, non so-

lum sermonem purum concinnumque reddere, sed etiam elegantia quadam ornare studeret, ita ut eorum libri, quoad latinitatem, nullo sane tempore superari hucusque potuerint, nec in posterum superatum iri videantur. Primus, qui magno cum eventu linguam graecam in Italia docebat, fuit *Manuel Chrysoloras*, qui, ut populorum occidentalium contra Turcas imploraret auxilium, et ecclesiam graecam cum romana conciliaret, Constantinopoli Italiam missus, postea, patria a barbaris occupata, hic sedem fixit, effecitque ut omnium fere virorum doctorum ad graecam eruditionem incitarentur animi, et Italorum principes ad tuendos illius praeceptores honoribusque et divitiis ornandos, propensi fierent. Jam e monasteriis veterum codices requirebantur, et a mendis per descriptorum negligentiam ac stultitiam illatis, liberabantur, ita ut versus finem ejus saeculi Hippocratis et Aristotelis aliqua opera emendatiora graece ederentur, eorumque versiones barbarae, et per Arabes maxime corruptae, cum nitidioribus commutarentur. Atque vel etiam Celsus, ipse hucusque parum notus, tunc primum a *Thoma de Sarzano* detectus, in medicorum manus pervenit, et suam quoque partem ad emendandam medicinae formam ac indolem contulit. Simul artes magis excolebantur, ad imaginem antiquitatis revocatae; in philosophia inclaruit Platonismi et Aristotelismi purioris nova aetas; quum enim in Italia, studiorum matre, mox exsurgerent academiae philosophiam illam solum sequentes ac laudantes, scholastica magis magisque est neglecta ac superflua et inepta visa. Cum operibus autem veterum classicis, ii etiam libri magis propagabantur, qui sub finem temporis antiquioris scripti, philosophiam Graecorum recentiorum mysticam cum platonica aliqua ex parte confundebant; quo factum est, ut, prae-

sertim quum clerici, timentes, ne christiana fides detrimentum caperet ex illo veterum paganorum studio, quominus hacce via philosophi incederent, impedire studerent, cum antiqua illa philosophia ad vitam revocata, nova etiam mystica oriretur disciplina quae fidei christianae dogmata cum iis, quae idolorum cultus secutus erat, conciliare conabatur, ita ut etiam Kabbalae doctrinaeque a Zoroastro propositae studium haud negligeretur. Uti autem ceterae bonae artes, sic etiam sub finem saeculi XV medicina aliquantulum respirare coepit, et quamquam Arabistarum auctoritas nondum erat deserta, tamen etiam philosophia scholastica magis ad praxin, etsi hanc laudavere vix possimus, se convertit. In eo enim illius temporis medici errorem admiserant, quod operibus suis totum medicinae campum emetiri methodumque ad omnes casus aptam invenire studebant, neque singulis disciplinis, talem, quam par est operam navabant; ad studium autem fontium medicinae magis literarum graecarum amore jam revocati, naturae ipsius observationi majorem tribuere coeperunt diligentiam et quae ipsi animadvertebant, cum iis quae a medicinae fundatoribus erant relicta, conciliare conabantur immo etiam quae falsa videbantur, refutare ac refellere audebant. Nam quum usque ad initum saeculi XV omnis fere naturae observatio neglecta esset, totamque ejus cognitionem ex Plinii opere, temporum injuria hinc inde corrupto, et e Dioscoridis libris male translatis haurirent medici, neque quae ibi invenissent, vera essent nec ne, comparatis suis observationibus examinarent, sed in iis, quae illi affirmarent, repetitis acquiescerent vel fabulas tantum adderent, tunc, praesertim per principum Italiae munificentiam ac generositatem provocatus, tantus naturae observandae ardor exstitit, ut multi viri docti Plinium et Dioscoridem ab

Arabum Arabistarumque injuriis ac mendis purgare susceperint, nec parvi inde medicinae fructus orti sint. Qua in re maxime excelluit *Nicolaus Leonicenus*, qui Ferrariae, centum fere annos natus, medicinam adhuc docuit; magna enim eruditione instructus et intrepido animo, quod ante eum nemo ausus erat, Plinii ipsius fidem ancipitem ac dubiam esse demonstravit, et librum scripsit de ejus aliorumque erroribus, publiceque declaravit, non in Arabibus scholasticaque barbarie medicinae salutem esse positam. Et natura ipsa medici quasi cogebantur ut accuratius eam observarent et intuerentur; invaserant enim illis temporibus in genus humanum novi morbi, de quibus neque Arabes neque Galenus, cujus ex multis inde saeculis maxima erat auctoritas, mentionem fecerant, quique methodo ex illorum libris haustae minime cederent sed novam aliquam postulare viderentur. Intellexerunt itaque medici artis suae fines nondum omni ex parte esse positos, neque sufficere, si memoria tenerent, quae veteres scripsissent, sed necessarium esse, naturam observare eamque sequi optimam magistram, et rerum causas sine ira et studio contemplari. Sic anno **1414** tussis convulsiva magnam Francogalliae partem devastavit; anno **1465** Lenticulae sive Petechiae cum febre typho dejunctae, ab eadem terra progressae diffusae sunt; anno **1485** sudor Anglicus, Anglis praesertim fuit funestus, tantaque incessit malignitate, ut intra unicum saepe diem, imo trihorio ad agonem perduceret aegros; anno **1485** in meridionali Europae parte Scorbutus primum saepius observatus est, quem Lusitanorum cursibus maritimis si non procreatum sed valde auctum et propagatum esse probabile est. Porro etiam tunc morbus ille accuratius observatus est, de cujus origine adhuc magna inter medicos lis est, syphilin dico,

quae tunc (ab anno 1493) universum terrarum orbem devastare coepit, et idoneis testibus totum fere genus humanum exstirpasset, nisi sponte ejus furor cessavisset. Nam etsi ante hoc tempus jam morbi venerei medicis noti fuere, topici tantum semper manserant; tunc autem primum universum corpus ulceribus correptum ac corruptum est.

Sic sensim sensimque medicina hujus saeculi additamenta ceperat haud negligenda; fructus tamen meliores studiorum hoc tempore excitatorum, saeculum demum quod sequitur nobis praebet, et lux tunc accensa purior, illo egregie effulsit; quamquam fatendum est, medicinam clinicam nondum ea incrementa cepisse, quae sperari potuerant. Pauci enim morbum aliquem ita, ut par erat, exponere coeperunt; sed quum semper adhuc more receptum esset, ut immensum librorum numerum quisque praeceptor academicus scriberet, fieri non potuit, quin alius alium exscriberet, et vix novi quidquam proponeret. — Primus qui hoc loco nobis obviam venit, vir ille est ancipitis famae *Philippus Aureolus Theophrastus, Bombastus Paracelsus* ab *Hohenheim*, (nat. 1493, † 1541), qui saeculo XVI magnam medicinae effecit immutationem. Acerbus enim Arabistarum, Galenicorum et scholasticae medicinae adversarius, mysticam plane eam reddidit, et cum astrologia intime junxit, omniaque sideribus subjecta esse docuit. Hominum corpora ad imaginem astrorum formata esse contendit, singulisque organismi humani partibus singula sidera praeposuit, a quibus earum salus, morbi et sanationes maxima ex parte penderent. Vitae spiritus s. Archaeus in ventriculo, uti contendit, sedem fixit, et indigestionem, digestionem et excretiones regit; venena a rebus indigestis secernit, quaeque ad corpus nutriendum sunt apta, temperat; etiam nullo medicamine adhibito, morbos sa-

nare valet, qua de causa medici est in quoque morbo in hunc agere archaeum. Elementa, Empedoclis doctrinam relinquens, tria imprimis faciebat, sal, sulphur et mercurum, non solum in corporibus vitae expertibus, sed etiam in humanis regnantia; ita ut rubrum sulfur in carne, sanguine et visceribus, flavum in adipe, medulla atque omnibus ossibus, viride sal in bile, mercurius gravis in carne, levis in pulmone, mediocris in ossibus habitaret; praeter haec autem alia etiam putat in corpore esse minera, quorum vitiis morborum causae contineantur; exempli gratia ex arsenico pestem, plurimos morbos e tartaro, erysipelas e vitriolo, cancrum e colcothare originem ducere affirmat. Tartarum autem procreari, si stomachus, quem ille cuique corporis parti tribuit, ejus digestioni praepositus, alimenta non rite subigat. Quae quantumvis vana omnia videantur et inepta altera tamen ex parte est animadvertendum, eum novam disciplinam, scilicet chemiam, ad medicinae subsidium vocasse, multaque adhibuisse nova remedia, praesertim minera, quorum ope magnam copiam morborum, quos medici Galenici insanabiles esse clamaverant, uti hydropem, epilepsiam, lepram, arthritidem feliciter sanavit. Ante eum enim excepto sublimato, hydrargyro praecipitato rubro ac antimonio, quorum usum Arabes introduxerant, nemo fere remediis chemicis est usus; tunc autem, neglectis graecorum praeceptis, Arabumque observationibus, morborumque discriminibus plane contemtis, fere tota ars medendi in efficacibus posita est medicaminibus, qualia ex mineris potissimum ars chemica parabat, et in febribus ipsis curatione antiphlogistica diaetaque relicta, ad calida remedia et alexipharmaca refugere medici, praesertim in Germania. In Francogallia autem et in Italia Galeni auctoritas magis sustentabatur, ita ut sectae Paracelsistarum

alia sese opponeret, Galenum, ipsumque Hippocratem secuta. Uti enim jam significavi, restitutis literis antiquis studioque linguae graecae incitato, antiquissima monumenta scripta magno cum ardore perquirebantur, sordidisque eorum versionibus, quae hucusque unicae fuere, tunc intolerabiles visis, sepositis, aucta legendorum librorum opportunitate ad codicum ipsorum vernacula lingua scriptorum lectionem se convertere medici et hacce via ad ipsum purumque revertere Hippocratem. Etsi in universum quidem in grammatica et scholastica interpretatione laborabant, vixque audebant ea dubitare, quae ex illorum scriptis didicerant, tamen morbos accuratius observare, suasque observationes cum iis quae a medicinae patre relictae erant comparare, Galenique auctoritatem Hippocraticae postponere coeperunt. Hi ergo viri, quorum principes, ***Joh. Gorraeus***, ***Jac. Hollerius***, ***Ludov. Duretus***, maximeque ***Anutius Foësius*** non inutiles nobis reliquerunt proprias, haud criticas solum adnotationes, medicinae maxime profuere, iisdemque fundamentis, quibus antiquissimis temporibus erat fundata, magis eam excoluerunt, et verioris medicinae restauratores, omnes fere ejus disciplinas promoverunt; ita ut sine ulla dubitatione, omnium, qui posteriore tempore medicinae studio sese dederunt, gratae venerationis monumenta illis viris debeantur.

CAPUT II.

Uti autem in tota medicina sic etiam in arte semiotica hoc saeculo post nubila phoebus apparuit. Melius medici ejus dignitatem ac pretium agnoscere coeperunt, atque intellexerunt, ante omnia, si pro parte virili morbos, variae eorum indolis ratione habita, cito, tuto, ac jucunde remo-

vere vellent, necessarium esse, quam optime noscere signa, ex quibus diversam morborum naturam, eorumque non solum statum praesentem, sed etiam eum, qui illum praecessisset dignoscere, eorumque exitum, vel sanationem vel mortem quantum fieri possit, praedicere valerent. In ea jam sententia antiquissimis temporibus medicorum illustrissimi sunt versati, praeceteris autem verioris medicinae pater, *Hippocrates* magnus (nat. 460 a. Ch. † 377) qui huic studio summam navavit operam, ita ut non solum qui ejus auctor nominetur, dignus videatur, sed etiam ad tantum perfectionis fastigium eam provexerit, ut etiam nunc quae de re semiotica nobis reliquerit sententiae, maxima ex parte sint verae et ad morborum anamnesin, diagnosin, praecipue autem prognosin recte stabiliendam, haud inutiles. Ille enim medicorum prioris temporis sententias semioticas, praesertim Asklepiadarum Coicorum, qui observationes magna cum ingenii sagacitate ad ipsum naturae exemplar institutas, tabulis votivis inscripserant, collegit et in disciplinae formam redegit, suisque observationibus confirmavit, ita ut omnia fere signa summo cum studio observaverit; vel uti crisium rationem, somnum ac vigilias, aegrotorum porro situm, faciem, linguam, oculos, respirationem, temperiem, excrementa, prae ceteris urinam. Neque ab iis, qui proximi eum sunt secuti, hoc studium neglectum est, etsi iis non multum erat relictum, quod aut adderent arti, aut magis explanarent, ita ut maxima ex parte in ejus auctoritate requiescere coacti essent. Tamen qui nominentur digni mihi visi sunt Hippocratides, quorum alii verosimiliter physiognomia semiotica artem donavere, alii vero, quod rem paulo subtilius tractarent, Hippocratis adversariis posteriore tempore ansam praebuerint, plura ex ejus doctrina refutandi. Dein dicendus est *Diocles Ka-*

rysteus (350—40) qui adhibita philosophia Pythagorica dierum criticorum rationem explicare studuit; porro *Herophilus* Chalcedonius (307—300), *Praxagorae* discipulus, qui dies criticos accuratissime observavit, docuitque diem vigesimam primam re vera esse criticam. Qui vir etiam primus pulsum, (arteriarum enim et venarum discrimen a Praxagora detectum haud in semioticen translatum erat, quamquam tres ille constituerat pulsus morbosos, trementem, palpitantem et convulsivum) Hippocrati plane ignotum observavit, et in celerem, magnum, fortem divisit, etiam Praxagorae falsam opinionem, arterias non sanguine, sed spiritu quodam (πνεῦμα ille appellabat) esse repletas, propriumque iis tribuendum esse motum, cordis pulsationi (ab hoc enim vasa sanguifera originem ducere, et ille sciebat), haud subjectum, plane respuit, et hujus signi observatione nixus, totam reformavit semioticen antiquiorem, saepiusque Hippocrati ipsi sese opposuit, qua in re ejus asseclae magis semper magisque progressi sunt, qui dogmatismo empirico addicti, sphygmologiae maximam tribuere dignitatem: uti *Bacchius Tanagrius*, *Chrysermus*, *Heraclides Erythraeus*, posteaque *Zeno*, *Alexander Philalethes* et *Aristoaenus*. — Romae tum cum medicinae studium efflorescere coepit, *Asclepiades Prusius* (100—90) sphygmologiae operam dedit, et naturae vim medicatricen haud agnoscens, doctrinam Hippocratis de crisi ac diebus criticis, a Herophilaeis quidem valde turbatam ac justo subtiliorem redditam, impugnavit. Postea autem ab iis, qui scholae methodicae a *Themisone* († 43 a. Chr.), Asclepiadis discipulo conditae adscripti erant, justo magis neglecta est ars semiotica dum Celsus (30), nullius scholae admirator Hippocratis semioticen sustinebat. Archigenes Apameae natus (37 p. Chr.) normam deinde

dedit, quomodo pulsus esset observandus ac tangendus, quamquam ille huic rei haud parvas immiscuit subtilitates dialecticas atque credidit, cor cum ipso sanguine etiam πνεῦμα emittere per totum corpus. Meliora de aliis symptomatibus, praecipue de dolore proposuit. Hisce autem multo clarior adhuc fuit *Claudius Galenus* (nat. p. Chr. a. **131** † **200**), qui vir, summo ingenii acumine omnique scientiarum genere imbutus, nullae sectae addictus, neque empiricus, neque plane dogmaticus, neque methodicus, sed e singulis scholis optima quaeque eligens, omnes medicas disciplinas mirum in modum ornavit, totiusque medicinae novum condidit systema, arteriarum pulsum maximi momenti esse docuit, et cum Herophili libri de pulsu per temporum injuriam perierint, ille nobis primus nominari potest melioris sphygmologiae auctor; quam vero justo fusiorem et subtiliorem proposuit, ita ut pulsuum differentias in infinitum fere multiplicatas, potius excogitasse, quam re vera observasse videatur. Eo autem tempore, quo, uti jam exposui, cum omnibus fere studiis humanioribus etiam medicina lanquescebat, et ad superstitionem vanasque hypotheses se converterat, medicique ipsam naturam sequi desierant, quum semiotica fere plane tenebris obruta est, tum omnis morborum observatio, symptomatumque justa aestimatio cessavit, ita ut paucissimi tantum medici Semioticen tractarent ac promoverent. Inter illos paucos vero saeculo septimo maxime excelluit *Theophilus* (**610**), sub imperatore Heraclio protospatharius, qui Hippocratis opera magni aestimans, libellum scripsit de urinis haud spernendum atque per omne medium aevum maximi habitum; tantique factum, ut obscurissima illa quae latinobarbara vocatur aetate unicus fere fuerit fons, e quo cognitionis semioticae cujusdam rudimenta a monachis haurirentur, verum

etiam causa, quae scientiae aberrationem in Uroscopiae fallacias fere sola produxit. Saeculi noni initio Constantinopoli satis excelluit in medicina *Meletius* monachus, qui et de semeiotica universa librum scripsit; et saeculo decimo *Mercurius*, is quoque monachus, qui pneumaticorum et Galeni phygmologiam aevo suo tradidit. Et Arabes quidem semioticen non negligebant, maxime tamen uroscopiam amplectebantur, eamque toti disciplinae praefixerunt; sed prodigiorum plus justo cupidi et illam et sphygmologiam turpiter convertebant in vanas ostentationes ac fallacias. Maxime tamen artem juverunt *Rhazes* et *Haly Abbas,* qui et omnino inter Arabes excellunt copia observationum. Saeculis autem, quae nunc sequebantur e rebus semioticis urinae observatio fere sola est exculta; in quaquidem re in germania monachi excelluere *Thieddeg* (†**1017** Pragae, Abbas St. Gallensis) et *Notker* († **1022**) in Italia autem imprimis *Aegidius* Corboliensis (c. **1180**) cujus de urina opusculum, ab omnibus fere posterioris temporis scriptoribus in rem suam est conversum.

Postquam autem sec. XIII. et XIV. literarum fere omnium amor ac studium redierat, medicina quoque magis magisque ad veterum studium est reversa et Semiotica paullatim a multis medicis excoli coepta est, veluti a *Petro Aponensi* (nat. **1250**, † **1320**), *Arnaldo Villanovano* († **1312**), qui tamen haud secius sua immiscuere astrologica. Vera tandem ejus artis restauratio saeculo decimo sexto effecta est, quamquam tunc quoque superstitione immixta non plane liberam invenimus. Quantus autem illius amor exortus sit jam cognosci licet e librorum copia haud exigua, qui tum de rebus semioticis in lucem edebantur. Pro genio quidem seculi XVI virorum, qui tunc de Semiotice scripserunt, agmen dividitur in Hippocraticorum, Ga-

lenicorum et inter utrosque ambigentium sive quodammodo Electicorum numerum. Haud pauci erant, qui Galeni vestigia sequentes subtiliori magis ne dicam scholastica de semioticis rebus disserendi methodo adhuc uterentur; inter quos excelluit *Jacobus Sylvius*, qui Galeni disciplinam tabulis illustravit synopticis; atque qui nec a vetere disputandi genere alieni fuere: *Nic. Taurellus*, *Franc. du Port*, *Cels. Martineughi* alii; jamque tunc innotuit hic recensendus *Franciscus de Pedemonte*, Arabista olim morborum cordis signa primus exhibendi conamine singulariter de Semiotice meritus: Ex altera parte Hippocraticorum illorum quidem nomina sunt laudanda, qui vel e Coi genuinis fontibus vel ex propria observatione haustam experientiam tradiderunt. Ut taceamus de *Th. Moufeto* obscuriori quidem viro qui Hipdocraticas theses collectas methodice digessit, ante omnes dicendus nobis *Jodocus Lommius* vir experientissimus cum Hippocraticam ipsam ope experientiae in trutinam revocare novisque rebus augere ausus sit disciplinam: deinde *Ludovicus Lemosius*, Lusitanus, Judaeus, isque inter eruditissimos, censura librorum Hippocraticorum atque valida suppositiorum rejectione clarissimus: porro *Ludovicus Septalius*, nobilis ille Hippocratis commentator et observator, mediolani decus: *Petrus* deinde *Foreestus*, observator cui pauci fuere pares, et noster demum *Johannes Lange*, Silesius, Prof. Heidelbergensis *Cratonis* nostri summi amicus, vir omnino de mutatis tum inter medicos omnis Germaniae studiis, itaque de seculo meritus, ipseque medicus vere Hippocraticus. Quos vero inter utramque medicorum in Semiotices studio instaurando partem medios ponam, fere duplicis quoque ordinis sunt, pront vel ad Galenum et Scholasticos, aut ad Hippocratis castra, ingenua tamen mente propius accedant. Illorum

quidem caput dicam *Hieronymum Frascatorium*, qui etsi in multis Galeni supersedere ausus, strenuus tamen hippocraticae de humorum doctrinae defensor est: deinde et *Clementium Clementinum, Herculemque Saxoniam*, doctos certe viros; horum autem principem vocaverim *Joh. Argentierum*, Taurinensem summum Galenistarum censorem, optimumque observatorem, ex cujus schola haud pauci prodiere discipuli magistri fere aemuli, rerum Hippocraticarum sed liberrimo ingenio, diligentissimi simul cultores atque arbitri, quorum dux ille paradoxus fuit, sed ingeniosus *Laurentius Foubert*, doctissimusque *Hieron. Capivacci*, minorque *Aemil. Campolongus*. Ultimo denique loco moneamus, jam mysticorum et astrologicorum hujus temporis turbae nonnullos interfuisse, semiotici studii non plane expertes: ut videlicet ipse *Theophrastus Paracelsus* bonam passim in chyrurgicis adferens de signis adnotatiunculam, et instar omnium allegandus *Hieronymus Cardanus*, de quo in Hippocraticis saltem rebus haud cum *Erasmo* dixeris, eo neminem stultius sapuisse. Hi potissimum de Semiotice sec. XVI. in universum dicendi. Quum autem dissertatiunculae fines longe excederem si omnes viros saeculo XVI in arte semiotica nostra excellentes recensere, eorumque sententias, de omnibus, quae observavere, morborum symptomatibus, accuratius exponere vellem, duas potissimum mihi elegi ex rebus ad Semioticen pertinentibus, scilicet doctrinas de dierum criticorum ratione et de urinis, quas paulo accuratius perscrutari liceat ita quidem, ut quantum fieri potest sententias his de argumentis editas ex ipsis autorum libris nobis relictis collectas indicemus.

CAPUT III.

Inter omnes sane res semioticas praesertim dies criticos observare coeperunt medici, eorumque causas potissimum explicare studuerunt. Quod cum plerique, imprimis *Amatus Lusitanus* († a. **1562**), philosophia platonica magis divulgata, per numeros ipsos atque per singularem efficaciam iis insitam, vel per siderum impulsum uti e. gr. *Augustinus Niphus* (n. a. **1473**, † **1538**), efficere ausi essent, *Hieronymus Fracastorius*, cui, quae illi protulerant, haud idonea videbantur ad miram dierum criticorum naturam explicandam, antiquam illam quidem, at mutatam tamen et haud parva sagacitate amplificatam, proposuit theoriam. Praeclarus enim ille vir, (nat. **1483**, † **1553**) Veronensis, Pomponazzii discipulus, medicus, poëta, philosophus, suo aevo inter principes virorum doctorum relatus, et columnam meritus in urbe paterna sibi dedicatam, dies criticos ex ipsorum humorum aegrotorum motu explicaturus, et Pythagoricorum doctrinam refutabat, qui in numeris ipsis, praesertim septenario, et philosophorum, qui in casu, vel sola proportione naturae ad humorem vim omnem posuerant, quem eo temporis spatio concoqueret, concoctum expelleret, et hoc quidem in aliis septimo, in aliis quarto decimo die efficeret; nec non Astrologorum, qui e coelo et sideribus, luna praecipue, et septenariis ejus mutationibus, crises pendere contenderant, quos vel eo facile redargui posse censebat, quod rarissime contingeret, ut septenarii morborum dies cum septenariis lunae coinciderent. Miratur etiam Galenum, ceterum tantum philosophum, et medicinae quasi parentem, cujus nomen ac memoriam alioquin ut sacram atque sanctam colere se fatetur, iisdem implicatum esse errori-

bus, et sophistas eos vocasse, maledictisque incessisse omnes, qui rem istam rationibus vellent investigare. Quae autem edocet noster, haec fere sunt: E duobus potissimum rebus ea pendet expulsio, quae crisis dicitur; altera enim est displicentia stimulusque quem corruptus jamque humor in corpus ingerit, altera digestio i. c. praeparatio illa, quae ut expelli ille possit, est necessaria; si utraque autem simul praesto est, tum maxime propulsio humoris corrupti fit, qua propter etiam in paroxysmo ipso et circa morbi fastigium, quo tempore concocta digestaque est materies, crises accidere solent, ita ut raro tantum irritamentum sit, ut, quanquam non plane digestus sit humor, foras tamen pellatur. Quum autem humores uti cholera, phlegma et melancholia in sanguine tam intime mixti et confusi sint, ut saepissime infectionis causa pluribus communis fiat, in plurimis etiam morbis non unus tantum humor vitio aliquo corripitur. Quo facto, natura ita operante, ut corrupta secernantur a reliquis quae sincera sunt, eorumque particulae in unum conjungantur, tandem etiam expulsio deinde fit et crisis, modo per hanc, modo per illam partem, qua magis naturae commodum est. Dum autem natura humores corruptos separat, interdum eos invicem commiscet ita, ut unam conficiant formam unumque procreent morbum, qui dominantis humoris rationem sequitur; ad talem autem humorum mistionem conficiendam aptissimum est phlegma, quia gaudet natura humidiore, liquidiore et magis miscibili; ineptissima melancholia, quoniam siccior terrestiorque ac durior est. At vero ubi non unam omnes formam conflant humores, nec unum motum dant, morbi compositi inde fiunt. Si igitur, qui peccat humor, simplex et unus tantum est, aut plures in unam formam redacti, tunc nulla dierum criticorum ratio est exspectanda,

sed paroxysmi soli observandi erunt, qui in phlegmate quidem vitioso quotidiani, in cholera tertiani, in melancholia quartani esse solent. Ubi autem plures simul peccant humores, non sub formam unam commisti, sed propriam naturam servantes, tunc exspectare possumus fere quosdam dies, quibus crises vel maxime fiant, alios, quibus rarissime, alios denique medio quodammodo se habentes. In tali conditione unus quisque humor vitiosus suo die paroxysmum prodit, ita tamen saepius ut quorundam humorum vel quod non multi fuerint, vel quod eorum affectio majori morbo tantum accesserit, motus ac paroxysmus sit latentior, aliorum autem, in quibus praecipue vis morbi versetur, manifestior. Ex hac autem humorum natura eorumque praeparatione ac digestione, vario temporis spatio peracta, omnis dierum criticorum ratio pendet; ii enim dies, quibus nullus humor movetur placidissimi in morbis sunt, alii acerbiores, quibus unus, alii acerbissimi, quibus omnes humores peccantes moventur; cum autem natura eo tempore, quo irritatio est maxima, crises potissimum provocet, manifestum est eas iis praecipue diebus exspectari debere, quibus fit concursus omnium humorum, eorumque digestio est absoluta. Quae cum ita sint, intellectu etiam est facillimum, melancholiam, quae in plurimis morbis principaliter peccat, aut suppeccat saltem cum aliis humoribus haud mixta, quaeque difficillime digeritur, maximi inter omnes humores esse momenti ad dierum in crisibus procreandam rationem; quartanarios ergo motus morborum praecipue esse exspectandos. Sed exemplo rem melius illustrabimus. Pone igitur phlegma et choleram, in unam quidem formam redactas, peccare, melancholiam autem suppeccare, non crassam quidem sed subtiliorem et digestu faciliorem esse, ita ut simul cum cholera putrescat,

tunc primus dies morosus erit quia duo humores moventur, secundus autem quietissimus, quo nullus humorum motus fiet; tertio die cholera paroxysmum faciet; quartus autem dies habebit melancholiae motum latentiorem (quia subpeccat); quintus vero cholerae motum videbit, sextus nullius, at vero septimus acerbissimum omnium paroxysmum afferet concurrentibus simul humoribus, qui peccabant, omnibus, et nunc, quia digestio est absoluta ac stimulus acerbissimus, crisis continget [1]). — Quum autem humorum conditiones multiplices sint, (pauci enim vel multi, crassiores vel tenuiores, modo tenaciores modo magis soluti, modo calidiores, modo frigidiores esse possunt) eorum concoctio ac motus iisdem non semper fit diebus. Igitur, si primo die cum cholera etiam melancholia movetur, uti in acutis morbis, quibus materia est tenuior ac calidior, quartanarii quidem prodibunt 4, 7, 10, 13 (ultra enim raro protenditur status); ita ut in acutissimis, ubi materies est paucissima, subtilissima et fervens, jam die quarto crisis adesse possit. Quum autem plurimi morbi decursum mediocriter acutum praebeant, et medius dies saepius quam extremus crisin affert, et dies septimus in genere acutorum maxime criticus esse solet; si tamen quandoque ad diem decimum tertium prorogatur crisis, totus dierum progressus ita se habet: primus quidem tristis est, duos enim habet motus, secundus placidior, nisi duplex est febris; tertius motum cholerae sentit, quartus melancholiae sed latentem, qua re morosus est; quintus cholerae re-

---

1) motus cholerae

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

motus melancholiae

ditum videt; sextus mitis erit, septimus valde quidem acerbus, sed crisin non dat, quoniam non plane digestus est humor; octavus suavior, nonus gravior propter cholerae motum; decimus latentem habebit melancholiae motum, undecimus cholerae manifestum; duodecimus placidus est, at decimus tertius saevissimus, et ille quidem crisin affert, quoniam cum irritamento maximo digesta est materies [2]). At vero ubi, uti in morbis simpliciter acutis, secundo demum die motum dederit melancholia tum quaternariae periodi erunt **2**, **5**, **8**, **11**, **14**, **17**, **20**; critici autem ex his maxime erunt **11**, **14**, **17** et **20**, praesertim undecimus, si materia non est valde crassa ac multa; si chronicis autem morbus est vicinior ad **20** protenditur, sin autem, uti saepissime, mediocris est, die **14** judicatur. Notandum est etiam in tertianis simplicibus, quae autem rarius observantur, pares dies raro criticos evadere, quod in eos non cadit paroxysmus [3]). Si tertio autem die motum recipit melancholia, quod in morbis chronicis fit, in quibus crassa valde et tenax et copiosa est materia, periodi quidem erunt **3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30** quorum maxime critici sunt **21**, **27**, **15** secundum variam materiei indolem. Qui vero dies quietiores, qui graviores, qui gravissimi futuri sint ex subscriptione [4]) manifestum est.

His expositis unus quisque facile videbit cur

---

2) 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

3) 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

4) 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.
19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

ex Fracastorii sententia nimis justo subtili et in praemissis falsa, in consequentiis tamen accurata et bene sibi constante, dierum in crisibus alii praestent principatu, alii sint principatu minores, alii medio modo se habeant. Septimus enim inter omnes maxime criticus est, quoniam eo die maxima crisium pars in acutis fit morbis, qui raro tanta vehementia sunt ut jam die quarto dijudicentur, neque tanta tarditate ut ad decimum tertium protendantur. Ab hoc secundus principatu ponendus est decimus quartus, qui in morbis mediocriter acutis dijudicationem secum ferre sòlet. Eandem ob causam dies **20** et **21**, hic in mediocriter acutis, ille in chronicis morbis, et **11** magis critici sunt quam **4** et **13**. Dies autem, quibus nullae crises fieri solent, sunt **6**, **8**, **10**, **12**, **16**, **19**, **22**, **23**, **25**, **29**. Sextus tamen nonnunquam criticus observatur in periodis tertiae diei, vel ubi materies furens et exuberantissima maximum procreat impetum, ita ut crises, quae eo die fiunt a prava materia originem ducant, qua de re saevus dici consuerit is dies atque tyrannus. Sic etiam dies octavus et decimus, et sequentes quos attuli, critices esse vix possunt, nam vel morbus acutus ad eos usque non protenditur vel nullius humoris habent motum. De die vigesimo octavo inter antiquos lis fuit; nonnulli magis criticum esse quam vigesimum septimum censuerant, noster autem ait id tunc tantum accidere posse ubi periodi erunt **4**, **7**, **10**, **13**, **16**, **19**, **22**, **25**, **28**. Postea observationes de diebus criticis proponit Fracastorius; sic saepius acerbos observavit **7** et **20**, acerbissimos autem omnium **22**, **25**, **28**; medios autem **3**, **5**, **9**, **13**, **18**. Diei **13**, quia criticis est proprinquus, quoniam et impar, et inter periodos primi diei cadit, quandam vim criticam tribuit, nec non diei decimo septimo, quem in secundi diei, et

18, quem in tertia periodo invenimus, et huic quidem praecipue anticipantibus paroxysmis vel in duplicibus tertianis. — Indicativos autem eos nominat, quibus natura expulsionem nocentium et crisin quasi tentet; cum autem materies non omnino digesta sit, sed proxima tantum ut digeratur, crises imperfectas observari docet, et nuntias criseos perfectae, quae proximo die critico futura sit, omnesque dies indicativos quartos semper esse a die criseos perfectae, qua de re etiam ex melancholia potissimum dierum criticorum pendere rationem demonstrari posse.

Praeter Fracastorium etiam alii illius temporis medici fuerunt, qui quamquam in universum vix novam exhibuerint theoriam, observationem tamen dierum criticorum haud negligerent, maxime tamen vel Amati Lusitani vel Fracastorii sententias sequentes. Sic imprimis *Jodocus Lommius,* vir optimus, Buranus, Belga, sectae Hippocraticae adscriptus, diligens morborum observator, qui opus nobis reliquit maxime aestimandum, quo omnium fere morborum symptomata, quaeque ex iis derivari possunt praesagia, morborumque discrimina, adhibita methodo synthetica, haud parvo cum eventu exponit. De diebus quidem decretoriis in universum cum Fracastorio consentit; in iis explicandis autem paulo difficilior est intellectu et ad eorum rationem illustrandam vix aliquid fecisse mihi videtur. Quis enim rem absolutam esse putet, quum haec ille dicat[5]): „explent hunc numerum vicenarium (scil. dierum criticorum a tertio ad vigesimum usque) tres septimanae: sic ut dies octavus secundae septimanae principium, quartus decimus autem terminus ejusdem, exordiumque tertiae (sic etiam

[5]) Lomm. observat. med. lib. I. p. 47. (8. Amst. 1745.)

Hippocrates judicat) habeatur. Jam quoque hi dies septenarii per quaterniones digeruntur: atque quartus dies primi quaternionis novissimus et secundi primus; tertius autem quaternio a septimo orsus die clauditur undecimo, quartus hinc incipiens, quarto decimo finitur die; hic ipse dies initium quinti quaternionis est et decimus septimus finis; ab hoc sextus incipit quaternio, et vicesimo terminatur: ex quo apparet hunc ipsum vicesimum et sexti quaternarii et tertii septenarii novissimum esse."

Ex his quidem elucet crises nostrum septenario et quaternario typo accidentes observasse, sed minime explicatum video quomodo haec ratio crisium oriatur. Critici imprimis ei sunt **7**, **14**, **9**, **11**, **20**, **27**, **5**, **4**, **3**; mali autem et parum tuti vel non judiciales: **6**, **8**, **10**, **12**, **16**, **21**. Diem **13** raro criticum facit, tamen ait, eum uti omnem, qui impar sit, primo vicenario crises habere posse; post diem quadragesimum rarissime crisin, sed potius longam concoctionem, qua morbi solvantur, statuit. Quos Fracastorius indicativos appellat, Lommius cum Hippocrate contemplatorios vocat, et quos ille medios, hic intercurrentes.

Laurentius Joubertus (nat. **1529** † **1583**) vir summae auctoritatis doctrinaeque, professor Monspelliensis, cancellarius et princeps regis medicus, acerbus omnium praejudiciorum adversarius, dies impares magis quam pares [6]) in febre putrida criticos observavit, ubi enim de hujuscemodi febris curatione disserit: „omni, ait, studio incumbentes naturae conatum exspectaverimus, indicibus et judicatoriis diebus, imparibus magis, quam paribus, usque ad decimum quartum (qui terminus est mor-

---

6) Joubert Medicina practic. lib. 8. cap. 4.

borum simpliciter et exacte acutorum rite observatis.“ Quo ex loco tamen vix uti ill. Sprengel[7]) concludam, eum diem **13** potissimum quam **14** magis criticum nominasse, nam et undecimus et nonus, et septimus et quintus, et tertius impar est. — Diem sextum a *Musa Brassavola* in morbo epidemico anni **1528** fere semper lethalem observatum esse, ex opere a Sprengelio edito intellexi; valde tamen miror illum virum perillustrem illo loco[8]) ita scripsisse: „Ueber den sechsten Tag, den Tyrannen unter den kritischen Tagen wurden in diesem Jahrhundert zwei widersprechende Erfahrungen gemacht. Musa Brassavola beobachtete ihn nämlich in der Epidemie von **1528** fast allemal tödtlich, und Plater bemerkte, dass ein Quartanfieber mit dem sechsten Paroxysmus sich völlig entschied.“ Quomodo enim cum die sexto febris continentis sextus intermittentis paroxysmus confundi potest?

Neque *Prosper Alpinus* dies criticos neglexit; ille enim vir (nat. **1553** † **1617**) cui summa suo aevo fuit fama, medicus et botanicus celeberrimus, peregrinator, qui in Aegypto aliquamdiu medicinam fecit, consulis Veneti familiaris, postea professor Patavinus, totius artis semioticae recentioris quasi pater qui vocetur, dignissimus, haud parva ingenii alacritate Graecorum principia ac praesagia excussit atque in disciplinae formam redegit. Sedulus naturae observator atque servus, in libro suo de praesagienda vita et morte sine ira et studio Hippocratica praesagia de omnibus fere symptomatibus, quae quidem observari possunt, per titulos suos disponit. Sic in illo opere egregio, in quo

---

[7]) Sprengel Gesch. der Arzneikunde. 3 Th. S. 314.

[8]) Eodem loco.

tamen scribendi ratione aliquantulum difficiliore est usus, de signis agit ex quibus Hippocrates de viribus lethalibus morbi judicaverit; praesagia dein ponderat ab animae functionibus, a calore et frigore corporis, a viribus motoriis, a tremore, palpitatione, convulsione, singultu, horrore, in quibus omnibus, et si maxima ex parte vera sint, tamen nonnulla inveniuntur, quae naturae minus respondere videantur. Porro pulsum, respirationem, appetentiam ciborum, habitum, partes corporis, emaciationem, colorem mutatum, oculos, linguam, hypochondria, artus, excrementa, urinam, faeces, sudorem, crises et dies criticos, haemorrhagiam, vomitum, sputa ex veterum sententiis perscrutatur et quid inde fausti vel infausti sit exspectandum, tradit. Quoad dies criticos [9]) plane eos ita statuit uti in libris Hippocraticis constitutos invenimus, et eorum rationem explicans, proclivus videtur, qui Fracastorii theoriam sequatur; tamen non solum melancholiae motui eorum causam adscribit, sed etiam bilis et pituitae, ita ut ex propriis motibus horum humorum exuberantium mutationes judiciaque quibusdam terminatis diebus fiant: „Humores enim, inquit, biliosos atque acutos scimus nos alternis diebus moveri, quaternis crassos melancholicos, atque ustos quotidie pituitosos." Praeter humorum motum tamen et jam naturae ipsi, ejusque excretrici facultati, excernenti ea quae concoctrix debito tempore concoxerit, magnam vim tribuit ad procreandam dierum criticorum rationem, qui quidem sunt vel vere decretorii, vel decretorii indices atque intercidentes seu provocatorii, in quibus et aliis quoque, quos non decretorios vo-

9) Prosp. Alpinus de praesagienda vita et morte lib. VI, cap. IV—XIX.

cat, aliquando tantum natura humorum pervessa qualitate, acri scilicet aut venenosa, aut majori copia humorum nimis irritata, ante justum tempus prava excernit sicque judicia facit. Porro etiam docet crises ab eo die quo humorum motus et exuberantia primum conspiciatur, qui haud absque magnis morbi turbis atque aegroti incommodis incidere consueverit, vix ultra quaternionem abesse, siquidem morbus sit celer ac vehemens; ubi hoc autem non contigerit, altero vel tertio etiam quaternione intratuturam esse, ita ut ex morborum indole cum acuta tum chronica crisium tempus praenosci possit; quod tamen, ut accuratius pervestigetur, distingui oportere morbos acutos in acutissimos, qui usque ad diem quartum, peracutos, qui intra septem dies, et simpliciter acutos, qui die nono vel undecimo judicentur. Etiam ex virium conditione criseos tempus praedici potest, ubi enim morbus est vehementissimus vires mox aut prosterni necesse est, adeo ut moriatur homo, aut ad humorum noxiorum excretionem excitari; neque morborum motus celer et tardus ad talem cognitionem inutilis est. Nam si ex aliis signis morbum die septimo solutum iri sperare licet, observata etiam ejus celeritate, potest quarto sive quinto die resolutio exspectari, contra motus tarditas ad nonum aut undecimum retardare eam valet; optimum autem e morborum stadiis, concoctione et cruditate judicium est ferendum de tempore crisium, quippe quae aut in stadio staseos aut incrementi fiant, et quidem salutares in vigore morbi, imperfectae et minus faustae in augmento, quia adhuc crudus est morbus neque concoctio absoluta. Ipsam criseos futurae horam praenosci posse ille affirmat, paroxysmi temporibus accurate investigatis; nam eadem hora, qua paroxysmus fuit, et judicatio erit. —

Ex eodem etiam autore cognovi *Ludovicum Lemosium* († 1588) professorem Salmantiacum, criticum eum quidem Hippocratis perscrutatorem, libelli de praedictione doctissimum auctorem, crisium dierumque criticorum rationem ac causam ad ipsius naturae vim humores corruptos expellendi, ad paroxysmos ipsosque morbos retulisse atque ad conditionis naturam, qua utatur aeger. Hisce explicatis et de praedictione a diebus decretoriis, de signis crisin futuram significantibus, de crisibus salutaribus et exitialibus cognoscendis, de varia earum specie praedicenda, aliisque ad crises pertinentibus agit; quae tamen pertractare, cum non propositum nobis sit, jam ad alteram partem transgrediemur.

CAPUT IV.

Sec. XVI. etiam doctrina de urinis magis est explicata, ipsaque disciplina dignior reddita. Antea enim medicis magis ludibrio fuerat ex illa, quae tunc erat, morborum diagnosis, auctoribus praesertim Arabibus, ac saeculorum barbarorum medicis, qui omnes morbos eorumque species, nec non causas remotas, resque plane alienas ex lotio cognoscendas esse putabant, atque maxima ex parte id agebant, ut adhibita uroscopia prophetes quasi haberentur. Adeoque demum invaluerat illa uromantiae vesania ut nulli fere principi nec Magnati archiater deesset, ad lotium adspiciendum quotidie advocatus. Primus fere medicos illos fallaces publice castigat *Clementius Clementinus*, Romanus, Leonis X archiater [1]): „Causa morborum inquit

---

[1]) Lucubrationes (fol. Basil 1535) p. 5.

primitiva non potest sciri ex urinis ut rustici et populares credunt. Et nugivenduli mendici in omni aegritudine, visa urina, dicunt causam fuisse calorem frigefactum et repletionem corporis. Et licet haec non possint ex urina colligi, tamen plerumque dicunt." Et alio loco[2]): „Patet igitur plurimorum ignorantia, qui medicum ex inspectione tantummodo urinae posse omnia scire opinantur: nec peritum quendam esse medicum credunt, nisi per urinam omnia praedicere sciat: sed ii tradendi sunt malis medicis perimendi et mendicis exspoliandi vafris et versutis, qui statim visa urina fingunt, se totius aegritudinis substantiam cognoscere et tantummodo referunt generalia quae aegris fere omnibus accidere solent et his rebus subtrahunt et capiunt portantes urinas, ex quorum verbis postea aliquam faciunt aegritudinis conjecturam." Sed quamvis uromantiam, si hoc verbo uti licet, tam acerbe vituperaverit, tamen urinae observationem haud spernit, sed sedulo et colorem ejus et tenuitatem et crassitiem, spumam ac sedimentum omissa tamen mutata mingendi ratione, scilicet enuresi, dysuria et ischuria contemplatur[3]), quidque inde eluceat docet, et ita quidem, ut quae protulerit in universum haud inepta esse videantur, qua de causa nonnullas ejus sententias afferre liceat.

Paratur urina praesertim in hepate, ubi sanguis concoquitur, ita ut urinae aquositas ibi sequestretur; tum a renibus et vesica recepta colorem accipit. Itaque non ex omnibus corporis partibus deciditur, et hepatis tantum, renum et vesicae statum ostendit, ex quibus postea conjectura,

---

[2]) L. l. p. 25.

[3]) pag. 35 seqq.

utrum reliquae etiam organismi partes sanae sint, nec ne, colligitur. Praesagia autem ex urina pendent ab ejus colore, crassitie vel tenuitate, ab hypostasi, a quantitate, a spuma, a foetore materiisque ei admixtis. Sana colore flavo est, statim autem post cibos sumptos clarior, aquae similior excernitur, quia calor naturalis, qui digestione choleram, urinam tingentem parat, tunc urina relicta in stomacho colligitur; urina contra, quae diutius in vesica moratur, magis flava est ac crocea. Turbida et asinorum urinis similis, in cerebri apostemate et morbis pestiferis emittitur, qui et calorem naturalem et choleram ad se trahunt; lactea a chylo procreatur ab hepate male digesto. Aliae urinae, colore albido tinctae, modicum significant calorem naturalem, complexionem frigidam et humores phlegmaticos, pallida melancholicos; alba, spermati similis: pituitam, apostema frigidum, paralysin vel apoplexiam. Urina saniosa aperturam apostematum arguit: quandocunque autem arenulas calculi. — Lotium rubrum et crassum ab hominibus temperamento sanguineo instructis excernitur; fulvum a cholericis; rubrum etiam observatur in humorum abundantia et in plurimis febribus; pulvere autem insuper refertum et sine sedimento in febribus exitialibus. Minctus cruentus aperturam venarum demonstrat, et in crisi saepius, aliis symptomatibus violentibus haud apparentibus, salutaris animadvertitur; sin autem tenuis, foetidus et guttatim emittitur, ulcera fere insanabilia significat. Urina rubra, in cujus superficie color viridis, oleo similis conspicitur, plerumque mali ominis est et saepe mortalis; significat enim phthisin, hecticam, liquefactionem pinguedinis, corporisque dissolutionem; in melancholicis autem morbis spem salutis reducit; urina rubra sed aquosa, loturae carnis recentis similis, in hepatis morbis observatur atque renum. —

Fusca ac icterica mingitur si meatus obstruitur, quo in vesicam fellcam proficiscitur bilis, indeque prolabitur in viscera; ad nigredinem saepe tendit in febribus complicatis. Urina ignea valde acuta, maximos in praeputio provocans dolores, a salsedine ciborum vel humorum exsiccatione oritur; et si in tali conditione perseverat, vesicam exulcerat et sanguinea et saniosa apparet. Colore autem parum viridi praedita, significat magnum frigus; in mulieribus autem purgationem matricis; in pueris lactantibus indigestionem et frigiditatem; plane autem viridis, similis succo foliorum porri, portendit adustionem humorum, membrorum incendium ac mortem, et a spasmis, venenis et humoribus pestiferis originem ducit. Quae insuper est nigra, praesertim parca et crassa, perniciosa est; e maximo enim calore febrili vel maximo frigore, calorem naturalem exstinguente, proficiscitur; sin vero larga est, morbi saepius superantur, uti quartana, splenis tumores, lapides renum ac vesicae, vel menstrua retenta purgantur; ubi albam et aquosam sequitur, levamen fere semper affert; si cum doloribus emittitur viarum plerumque ulcera adesse est testis, praecipue si in fundo facit residentiam saniosam.

Crassa nominatur urina si concussa in pauciores majores partes disrumpitur, majoremque spumam et firmiores ampullas producit; clara tamen et haec esse potest. Si contraria indole gaudet, tenuis est, quae simul turbida nonnunquam observatur. Urina crassa non solum frigidis a morbis sed etiam a calidis paratur; urina tenuis rarius occurrit, saepius tamen in morbis e laesa digestione oriundis, uti in diabete, vel si qui propter frigus vel propter sumta diuretica saepius mingunt. Crassa tamen in quocumque morbo, si quidem appropinquante criseos tempore non attenuatur, mala est

ac perniciosa et debilitatis digestivae signum potentiaeque morbi; urina tenuis, si per convalescentiam durat, morbi recidivi fert suspicionem; sin vero sine convalescentia ingrossatur, liquefactionis humorum et hecticae est indicium. In hac tamen contemplatione non negligendum est, juvenum urinas esse mediocres et aequales, quoad substantiam tenues, quoad colorem flavas clarasque, senum tenuiores, nonnunquam tamen propter materierum expulsionem etiam crassiores, quia juvenum vires longe sunt potentiores quam senum. Urina quae ex parte est tenuis, ex altera crassa, partim digesta est, partim indigesta, et materiae diversum probat statum. Urina larga, quae crassa est vel turbida quaeque facile mingitur, bonum fert morbi exitum: cito tamen faciat hypostasin in fundo et clarescat, quia per urinae vias saepe nocua expellit natura crisinque facit, quo etiam fit ut praesagia ex urinae crassitie et tenuitate meliora sint quam ex ejus colore, diversis rebus mutabili; substantiam enim urina in hepate concipit, in renibus et vesica tantum coloratur. Si urina, postquam micta est, condensari, ingrossari aut attenuari videtur, vel clarescit et secernit sedimentum, naturam digestioni incumbere, inde perspicuum est; sin vero post emissionem statim corrumpitur, humorum dissolutionem ac putredinem arguit.

Quod ad sedimentum attinet, quae crassior urinae est pars, quae paulo postquam evacuata est, a reliquis secernitur, et in unum colligi solet, optimum est album, leve ac aequale, nubibus vel lanae candidae flosculis simile. Componitur autem e phlegmate digesto, qua de causa phlegmatici, otiosi, epulones et opimi plus sedimenti quam macilenti, sobrii laboriosique gignunt. Jam in augmento morbi sedimentum parari incipit, et in dies tunc magis colligitur, et quo citius apparet, eo citius sanabi-

tur morbus, quia signum est digestionis adhuc vigentis; humoribus enim nondum digestis, hypostasis non secernitur, nisi mala, qualis est rubiginosa, maculosa, pulverulenta. Hypostasis uncta et pinguis phthisin indicat vel hecticam et dissolutionem; fulva portendit ardentem choleram, rubea et crassa sanguinis abundantiam; tenuis, rubea, ignea inquietudinem, taedium, dolores; fusca et nigra saepe splenis sanitatem restituit; sanguinis guttulae, parum permixtae, ex urinarum viis sunt ortae; calculi parvi, uti arenula a renibus veniunt. Nubecula in superficie natans apostema vel expulsionem criticam indicat.

Spuma autem in urina ex viscositate humorum proficiscitur vel ex aëre in mingendo ei admisto; quo diutius autem spuma durat, eo magis est signum humorum glutinosorum ac tenacium, morborumque gravium, praesertim renum. Neque copia lotii omittenda est; praesente enim diarrhoea, vomitu vel sudore minor est, etiam in fame, laboribus et febribus ardentibus; praeter has causas significat urina parca debilitatem digestionis et hydropem. Largiorem procreant urinae fluxum diuretica, uberior potus, frigus, diabetes; urina autem mox larga, mox parca indigestionem humorum et debilitatem demonstrat; si vero in morbis acutis cum larga lotii excretione convalescentia non conspicitur, ne in spasmos vel in hecticam abeant, est timendum; urina in morbis acutis guttatim tantum emissa, cerebri affectionem sive amentiam indicat.

Mulierum urinae sunt albiores, crassiores et deformiores quam virorum, ob earum frigiditatem, debilitatem, abundantiam excrementorum et amplitudinem meatuum, per quos matrix totius sentina corporis purgatur. Prima post coitum emissa urina seminis filamenta secum ducit et pinguis est; quae primo conceptionis tempore excernitur, saepe co-

lorem iridis exhibet; prope partum fit rubea, magis densa et turbida, frequentiusque emittitur. Hypostasis gravidarum in superficie natat, vel in medio pendet. — Certum tamen judicium ex sola urina de nullo fere morbo est stabiliendum, quum per multas res fortuitas lotii color et substantia mutetur; sic crocus croceum facit, olera viride, cibi salsi nigrum, ita etiam vina et lac. „Qua ex re, ait Clementius, judicium de morbis ex urinae sola contemplatione collectum, anceps est et saepe fallax, neque ex illa absque aliis indiciis morbi possunt cognosci, nam et hypostasis per motum et conquassationem valde mutatur. Errant ergo ii, qui non admittunt medicum, nisi per urinam omnia praedicere sciat, et medicorum experientiam experiri conantur ostendendo unam pro alio aut vinum vel syrupum acetosum et similia; et medici ne conditionem amittant, fingunt sese nosse urinam et referunt accidentia generalia, quibus aegri communiter laborare solent.“ Similiter de uroscopiae vanitate sensere *Christophorus Clauser* (**1535**), *Franc. Emerich*, Troppaviensi-Silesius [4]). *Bruno Seidel*, Prof. Erphordiensis [5]) et *Guil. Ad. Scribonius* [6]).

Sed ad alium jam virum, his multo majorem et clariorem, patriae quoque nostrae civem animum nunc convertamus, scilicet ad *Johannem Langium*. Perillustris ille vir, natus Leobergae anno **1470**, mortuus a. **1565**, Lipsiae philosophiae studiis primum se dedit, ibique philosophiae magister re-

---

4) Non solum ut *Sprengelius* adfert in libro 1552 edito, sed jam in libro: Usus dexter auxiliorum medicorum. Norimberg. 1537. 4.

5) De usitato apud medicos urinarum judicio. 1562. 8.

6) De inspectione urinarum etc. Basil. 1585. 8.

nuntiatus, Plinium publice explicavit, quem quum ipse rerum naturalium amantissimus esset, delicias suas nominare solebat. Postea autem medicinae studio plane deditus, Italiamque profectus, magno cum fructu Leonicenum audivit, Pisisque medicinae doctor est creatus. In patriam reversus, sedem fixit Heidelbergae et quatuor electorum archiater, longissima itinera conficiendo per Hispaniam, Italiam, Francogalliamque, et multorum hominum perlustrando mores et urbes, plurimarum rerum prudentem usum et experientiam consecutus est. Medicus insuper admodum felix, qui etiam in pestifero quodam morbo, totum Palatinatum devastante, plurimos aegrotos in integrum restitueret, multum sane contulit ad immutandum medicinae illius temporis ingenium ac indolem; ad veterum enim studium reversus, Arabistarumque praesertim perversitati oppositus, ad naturam ipsam observandam medicorum animos revocare studuit, totamque medicinam ab omnibus „impostoribus, agyrtis, circulatoribus, monachis apostatis, perfidis et Christiano nomini infestis Judaeis, indoctis parochiarum sacrificulis, chymistis carboniperdis, vetulis fatidicis“ liberare studebat, qui quidem nihil medicinae nisi infamiam pararent et per hominum mortes experimenta agerent. Sic imprimis in celeberrimo suo opere, cui titulus est: „Epistolae medicinales“ quo magnam et variam rerum ad medicinam pertinentium copiam doctissime exposuit, indeque famam ac gloriam sibi conciliavit immortalem, in eos invehitur [7]), qui ineptissimi, inspecta urina, aegro autem non conspecto, neque de singulis rebus examinato, statim de morbo proferant judicium. Eo etiam loco conqueritur a Germaniae

7) Epistolae medicinales lib. I, epist. XI.

medicis semioticen vel ignorari, vel ob desidiam negligi; qui ut ignorantiam suam dissimulent, e lotio solo morborum indolem cognosci posse contendant; quo factum sit, ut apud exteros illi haud magni aestimentur et medicina despecta jaceat; nam sine semioticis studio alteram medicinae partem, therapeuticam subsistere non posse; quae quidem morbos, e signis pathognomonicis, e functionum turbatione, e decursu, nec non e causis diligenter investigatis dignoscere edoceat. Obsecrat ergo eos, qui ex sola urinae inspectione totam medicinam pendere credant, ut ad has res animum accuratius intendant; ex urina enim morbos tantum hepatis, renum, vesicae atque humorum totius vasorum venosi generis ex parte dignosci posse, et qualis in iis sit vis naturae, concoctrix atque digerens, inde colligi; cerebri autem morbos, thoracis, pulmonum, articulorum et intestinorum ex lotio minime perspici, sed examinando, haec explorari debere. „At nostrates, ait, ex schola Alexandrinorum medici sedentarii ne a vulgo inscitiae arguantur, qui medicos ex lotio omnia nosse credit: de morborum causis et symptomatibus aegrum percontari erubescunt; ac ut temerario inertis vulgi judicio se indulgeant, de morbis ex urinae judicio nugari non verentur.“ Et aliis quoque locis [8]) (saepe enim idem repetit) hos medicinae impostores castigat, affirmatque bene sibi esse notum, se ab illis infestari, quod ineptum eorum in discernendis morbis ex urina damnaverit judicium; illos tamen se contemnere, nam qui diagnosticam, longo intervallo therapeuticam praecedentem, quaeque sine illa nullius frugi esse possit, neglexerint, nec a limine salutasse videantur, eos medicorum nomine esse indignos. Hoc a veteribus medicis jam observatum

8) Ibid. lib. II, XXIII; lib. II, XL; lib. III, VI.

fuisse testatur, qua de re miratur, quod Galenus tantus polyhistor, tantusque medicinae fautor ac conciliator, diagnosticam nulla exacto methodo excoluerit, sed passim tantum, praecipue in libello de artis constitutione ejus semina sparserit. Neque Avicennam, Rhasin, Paulum ab Aegina, Aetium, Actuarium, Alexandrum Trallianum quo ad semioticen laudat, qui quidem signa morborum in singulis capitulis tractaverint, sed adeo indistincte, ut quid in morbis sit pathognomonicum aut accidens nec essentiale, alterum ab altero vix discerni possit, illorumque medicina diagnostica confuso Democriti chaoti similis sit.

Quamquam igitur Langius iis, qui ex lotio solo morbos cognoscere voluerint, valde adversarius est, observationibus tamen hujus signi literae medicinales haud carent; quarum ut ingenium pateat, nonnullas collectas addam. Urina, quae in laesis visceribus, hepate vel praecordiis colore et substantia sanorum urinis similis mingitur, et hypostasin albam, lenem, puri exacte concocto similem praebet, non solum concoctionem morbi sed etiam virtutes naturales morbi viribus longe potentiores esse, easque in criseos conflictu victoriam obtenturas, vere testatur; et quamquam pulmonum affectiones atque cerebri, matricis et nervorum ex lotio perspici non possunt, tamen ab omni interni visceris vomica sanies per lotium expurgari potest; sic exempli gratia [9]) in pulmone per arteriam et venam cavam, hepar et venas emulgentes ad renes, indeque ad uretheres et vesicam pus delabitur. — Urina [10]) in senibus haud raro salsedine abundat, cum corpus senile sit siccum

---

9) Lib. II, XL.
10) Lib. I, XXVI.

nec dulci phlegmate sed falsis humoribus scateat, et concoctio ob virium imbecillitatem longius postulet temporis spatium. Urinae stillicidium[11]) sive stranguria recto intestino aut utero inflammato observatur, atque etiam ob urinae ipsius acrimoniam atque ardorem, e sanguine humoribus serosis ac nitrosis nimis permixto ortum esse potest, qui humores cum urina a renibus attracti et per uretheres in vesicam delapsi, illam ita irritant, ut eos ad justum usque excretionis tempus ferre non possit sed continuo guttatim sese liberare cupiat; quod etiam per pus, e renibus suppuratis in vesicam translatum, accidere potest. Senes autem quum propter nitrosam humorum naturam acredine abundent, stranguria citius quam juvenes corripiuntur et difficilius sanantur; porro etiam cantharidum usum illa dysuria saepius sequitur. Pestis[12]) ex lotio erui non potest, nam teste Avicenna in hoc morbo funesto urina ei est, quae a sanis excernitur, simillima; licet enim, sanguis, aliique humores a virulento illo contagio corrumpantur et labefactentur, non statim purescunt tamen, nec mistione, uti in febribus putridis, principio conturbantur, qua de causa urina substantia, colore et sedimento laudabilis conspicitur. — Urinam optimam[13]) habet quae „substantia mediocri et colore citrino est diaphana: in cujus fundo sedimentum album aequale et leve subsidet; ea enim salutare in febribus digestionis et criseos indicium: aut si saltem habet nubeculam candidam, in medio pendulam, vel in sublimi specie aranearum telae enatantem, quam Graeci ob id ipsum enaeorema dicunt,“ et

---

11) Lib. I, XIVL.
12) Lib. II, XXIII.
13) Lib. II, XLI.

haud obscure inchoatam humorum concoctionem indicat. Quanto igitur urina colore et substantia iisque quae continet, ab hac specie degenerat, tanto facultatis naturalis et concoctricis in jecinore et venoso vasorum genere et membris solidis, a quibus hypostasin suam destringit, et quasi delibat albedinem, vires esse imbecilliores indicat. Urina plane aquosa semper fere malae est indolis, humorum significat cruditatem, mortemque ac delirium non raro antecedit. Nec minus crudum est lotium nigrum; fuscum ab adustione atrae bilis, rubrum a sanguinis crudi abundantia proficiscuntur, neque concocta habentur; quorum ultimum non solum in febribus sed etiam in hydrope propter obstructionem vasorum et humorum putredinem animadvertitur, et haud raro colorem igneum prae se fert. — Uberius etiam exploratam video urinam ab *Prospero Alpino*, qui in praeclaro suo opere de praesagienda vita et morte in singulis capitibus [14]) et praedictionem ab urinis, quid sit urina, quomodo fiat, atque quantum faciat ad praedicendi methodum, et variarum urinarum causas, nec non eas, quae salutem vel mortem praenuntiant, accuratius tractavit, et ita quidem, ut Hippocratis semper et Galeni dicta (in toto opere hoc invenies), afferat. Quae nobis tradit, haecce fere sunt: Est urina serosum excrementum sanguinis a renibus attractum, per uretheres in vesicam delatum, quod ab illa tunc excernitur. Quoad substantiam vel tenuis, vel mediocris est, et vel diu in hac conditione perseverat, vel mox contrariam recuperat; porro quoad qualitatem triplex ejus differentia: coloris scilicet, liquoris et odoris. Nec copia quidem semper eadem est, nec contentum;

---

14) De praesagienda vita et morte cap. XII. seqq.

quod si in fundo residet hypostasis (residentia, subsidentia, sedimentum) vocatur; si medium locum vasis occupat: sublimia (sublimationes, suspensa, sublinamenta); denique si supremo loco, juxta superficiem observatur, nubes (nubecula). Sedimentum vel crassum vel tenue, vel continuum vel divulsum et inaequale occurrit, nec eundem semper praebet colorem et odorem. Nonnunquam porro quasi squamae animadvertuntur vel ad muci, farinae atque puris simillitudinem accedit sedimen. Non omnes autem morbi urinis indicantur, sed febres tantum, exceptis hecticis, et inflammationes, etsi eae, quae thoracis partes et ventris occupant, primo sputis et alvo significantur. Urina tenuis in febribus concoctionem debilem denotat et obstructione vasorum sanguiferorum aut renum aut vesicae procreatur; ubi talis perseverat, flavae bilis nihil ei admixtum esse elucet, qua de causa totum ejus impetum in caput ferri significat, sicque deliria et phrenitidem praesagit, vel mortem vel morbi longitudinem vel recidivas; sin vero cum aliis signis salutaribus conjuncta est, morbum per abscessum sanatum iri indicat. Crassa contra concoquente natura et sublata obstructione apparet. Si tenuis post tempus aliquod crassior evadit, naturam concoctionem parare manifestat; quae simul larga, ni a largiore potu originem ducat, a majore corporis humiditate fit et diebus decretoriis salutaris dicitur, praesertim si subsidet; etiam acris, quae in mingendo dolores provocat in acutis morbis bona; copiosa tamen et tenuis, potum ingestum excedens, cum malis reliquis symptomatibus, infausta est. Parca observatur ubi potus rarius sumitur vel humiditas maxima ex parte per alvum aut sudorem expurgata est, vel ubi in febribus ardentibus et inflammationibus magnus calor sanguinis serum consumsit; vel ubi urinarum viae sunt

obstructae. Lotium crassum, magnam copiam humorum crassorum et crudorum arguit, praesertim si residentiam non facit, et in morbis acutis perniciosum, praesertim si incipiente morbo occurrit et tunc sedimen deponit. — Pinguis urina, oleo similis ab adipis colliquatione totiusque corporis originem ducit, qua de re pessimae est indolis, praesertim si pinguedo in superficie natans, telis aranearum similis est; quae colore tamen et crassamento tantum oleo similis emittitur, saepius fausta animadvertitur. Urina nigra mingitur vel propter humorum melancholicorum crassitiem, vel atra bile redundante, aut propter sanguinem ustum, copiosius excretum. Quae clara mingitur mox autem turbatur, cruda quidem est, sed concoctionem incipientem declarat; sic etiam quae turbida sedimentum facit et tunc clarescit; quae turbida micta talis remanet, subjugalis etiam denominata, quod jumentorum urinis sit similis, crassos arguit humores calore agitatos atque flatibus, et a concoctione naturam adhuc remotam esse testis est. Sedimentorum in urinis diversitas pendet ex varia flatuum generatione et mistione; ubi enim in urinis flatuum copia adfuerit ad supremum locum vasis defertur, ubi minus, ad medium, ubi nulli, in fundum. Postremo si est album, leve et per omne tempus aequale, coctionem denotat et sublimento melius est, hoc rursus nubecula exoptatius. Hypostasin crassam et largam homines excernunt otiosi, qui in crapulis vitam ducunt, humoribusque crassis laborant, divulsam et inaequalem ii, in quorum venis crassi adsunt flatus, qui natura discuti et solvi haud facile possunt. Sedimen ad farinae formam accedens vel squamulas exhibens, vel furfuraceum, malum putatnr, et saepe lethale est; etiam divulsum inoptatum; nigrum autem pessimum in morbis acutis; subrubrum coctionis debilita-

tem demonstrat; nubecula suspensa deliria saepius indicat. — Quoad colorem, lotium album maxime desideratur; rubrum, quod a sanguine fit incoctiore et serosiore jecinoris, vel e venis ruptis et apertis, vel ex exulceratis renibus et vesica, coctionem deficientem indicat; sic etiam flavum. Viride malum est; proficiscitur enim a porracea bile, quam cibi ingrati minusque apti in ventriculo genuere; vel ab humoribus nimio incendio aeruginosis redditis; pessimum lividum ac nigrum, quod quidem in morbis acutis nunquam absque periculo observatur; quae perpetuo est nigra, aquosa, tenuis cum aliis signis infaustis juncta, mortem ostendit urina, praesertim sedimine nigro; quae vero secundis signis juncta per tempus tantum nigrescit, haud semper perniciosa uti in lienosis iisque qui sanguine abundant melancholico vel qui suppressis mensibus laborant. Commendatur lotium subflavum, subrufum, subcroceum, modice pallidum, subluteum et subrubrum, si quidem sedimen facit. Optima est urina quae recte valentium maxime est similis, colore modice croceo, substantia mediocri, cujus quantitas potui respondet, quaeque sedimen deponit album, leve ac aequale. Observanda tamen est in urina corporum temperies viscerumque praecipue, porro aetas, sexus, vitae ratio, quae omnes res urinam mutare possunt; sic coloratior est quae ab hominibus calidioribus emittitur, a juvenibus excreta tenuior et discoloratior est. Mulieres crassiores et discoloratiores mingunt urinas, sic qui crapulis indulgent; qui contra inedia usi sunt tenuiores cum parciore sedimine. Urina insciis aegrotis emissa, pessima; cerebrum enim affectum esse, vel naturalem facultatem exstinctam, inde elucet; saepe etiam in exitiosissimis febribus urina mingitur recte valentium similis; mortem autem in iis praesagit; nam cerebrum vel bilis tunc maxime

afficitur et nihil humorum noxiorum cum urina excernitur.

In hac tamen expositione facere non possum, ut *Petrum Foreestum*, virum excellentissimum transeam. Praeclarus ille vir, bono loco natus (a. **1522** †**1597**) Alkmario oppido, Lovanii, Romae, Parisiis et Bononiae literis operam navavit, et medicinam deinceps fecit Delphis, Lugduni Bat. et Alkmarii magna cum gloria et in vasto curationum observationumque propriarum opere monumentum nobis reliquit ingenii sui, omni admiratione dignissimi, in quo, prodigiorum haud cupidus ad simplicitatem et veritatem omnia descripsit et magno numero historiarum morborum illustravit. Celeberrimum etiam condidit librum contra uromantes, quo, quae ex urina eluceant, quaeque inde cognosci non possint, magno cum ingenii acumine edocet. Vasorum sanguiferorum hepatisque conditionem inde erui posse fatetur, in peste tamen, febribusque intermittentibus judicium ex ea respuit, atque monet non esse negligendum idem saepe lotium mortem, idem salutem indicare, et in morbis plane contrariis eandem urinae indolem observari, quamque enim corporis partem suum habere canalem, per quem materiem morbosam evacuet; sic in pectoris morbis magis ex sputo, quam ex urina praesagium esse pronunciandum; insuperque lotium cibo et potu, corporis exercitatione, anni tempestate, aegroti temperamento, aetate, aliisque causis valde mutari; sic etiam neque sexum, neque graviditatem ex urina perspici posse. Cautelas etiam affert, quibus observatis demum de urina sit judicandum; veluti praescribit: eam, dum inspiciatur non esse movendam: matulam pellucidam et in fundo haemisphaericam esse debere, ut nubecula vel sedimentum formare sese possint; neque e vase in aliud esse transferendam. Vituperat porro medicos, qui lotium in aedes suas al-

latum inspiceant, indeque de morbo judicarent priusquam aegrum viserint, casumque affert, quo visa aegri urina albida, clara, aquosa ipse morbum levem esse crediderit; cum autem ad lectum propius accesserit, in vehementissima febre versantem invenerit aegrum, ita ut tunc ex urina deliria et mortem praedicere potuerit. Contra hos ergo medicos militans, eorum detegit fraudes et errores, et absurda affert praesagia ex lotio solo edita.

Sed ut priusquam libellum finiamus, unum saltem ex iis qui doctrinam de urinis paululum subtilius tractavisse videntur, commemoremus, *Herculem di Sassonia* potissimum elegi in quo paullo versarer accuratius, cum *Thomae Fieni*, (nat. **1567** † **1631**) opera, ad hujus seculi finem exarata, quippe quae uroscopiae, plus justo tribuisse constat, et scholastico omnino dicendi- disputandique genere foedata legenti nil nisi taedium pariunt, protinus mihi non ad manus sint. Ille autem vir, Pataviae natus (a. **1551** † **1607**) Venetiis medicinam fecit et in patria academia professuram adeptus, Maximiliani etiam II curam gessit, quem sanasse dicitur; medicus tamen haud felix fuisse fertur, ut qui uxorem gravidam tamquam mola laborantem curaverit. Plurium operum ad semioticen spectantium, haud absque diligentia ac doctrina scriptorum est auctor; sic et libelli de urinis, in quo urinarum naturam, differentias, causas, praesagiaque ex iis desumenda enucleavit, ita tamen ut multis in locis[15]) moneat ne ex sola urina, aegro haud visitato et examinato de morbo judicetur qua ex re vix iis eum adnumerem, (id quod illustrissimus Sprengel fecisse mihi est visus) qui perversae urinae inspectioni faverint, cum et reliqua symptomata, aegroti se-

---

15) Cap. XXII, XXVI aliisque.

xum, aetatem, temperamentum, vitae rationem, corporis excercitationem, somnum aliasque res fortuitas maxima diligentia perpendi jubeat, imo etiam dicat in plurimis morbis signum certius futurae mortis aut salutis ex pulsibus quam ex urina desumi posse. Altera tamen ex parte vix negaverim eum urinarum inspectioni haud inimicum fuisse, magnamque diligentiam ejus contemplationi tribuisse. Sed videamus quae docuerit:

Urina est excrementum tenue ac aquosum, a renibus atque vesica e sanguine (ut purior hic fiat) attractum, ita tamen ut ex hepate etiam et venis partim paretur. Materiem amplectitur non solum ex potulentis (nam et infantes in utero, qui non bibunt, mingunt, etiamque viri et mulieres, qui per longius tempus potu non utuntur), sed etiam ex humidiore parte ciborum. Differentiae autem, quae in censum vocari debent, priusquam judicium ex illa pronuncietur, sese manifestant ex substantia, calore, odore, colore, contentis, quantitate, et (quod in aliis scriptoribus non inveni) etiam sono; in quibus omnibus contemplandis certae regulae sunt observandae, de quibus paulo inferius. Substantia ergo est crassa vel tenuis, turbida vel clara, in qua conditione vel perpetuo perseverat, vel mox contrariam assumit. Observatur etiam oleosa, quae saepissime simul est crassa. Crassities autem admixta crassa quaedam materia oritur, uti pituita vel succo crasso, quae coctione facta, subsidet; deprehenditur ergo talis urina in hominibus qui gerunt vitam otiosam, venerique nimis indulgent et cibis utuntur crassis; neque deest in alvi sudorisque suppressione, morbisque frigidis ac humidis ventriculi et jecinoris, in gonorrhoea et humorum colliquatione et occurrit in foeminis dum modo ne gerant utero quia semper ab illo ei aliquid crassi admiscetur. Lotium tenue contra emittitur in tem-

peramentis admodum frigidis aut hominibus summo calore exagitatis; aetati porro juvenili ac virili est proprium aërisque constitutionem calidam et siccam, vigilias, inediam, viscerum obstructiones sequitur. Nonnunquam mingitur urina admodum calida uti in ingenti calore febrili, nonnunquam tepida, morbo scilicet non tam vehementi, atque etiam exstincto calore naturali, frigida. Quoad odorem, mox odorata est, uti post usum foeniculi, therebinthinae laricis, mox fere nullum, mox foetidum spargit, quem vel ex corruptione ciborum, vel e longa in vesica retentione, vel ex usu asparagi, vel ex humoribus, per ipsam febrem putrescentibus, colligit. Haec dum emittitur sonum edit nullum, vel clarum, caloris abundantiam indicantem atque vigentem vim expultricem; alia obscurum, caloris defectum urinaeque indolem oleosam et crassam arguentem. Color urinae proprius, qui haud confundi debet cum illo, qui e vase tincto, e luminis refractione vel ex rebus coloratis proxime adstantibus proficiscitur, vel albus est vel pallidus, vel rubeus, vel viridis, vel niger, quorum quisque suas rursus habet species. Albi quidem sunt: niveus, lacteus, aqueus, crystallinus, corneus; pallidi: rufus et flavus s. spiceus (a colore spicarum maturarum sic denominatus); rubri: subrubeus s. roseus, rubeus s. purpureus, et praeruber s. sanguinolentus; viridis: porraceus et aeruginosus (qui est obscurior); lividi: puniceus (uti syrupus violarum) et plumbeus; nigri: ater (atramento similis) et fuscus. Colorum autem causas disquirentes lacteum animadvertimus urina haud pura, sed cum aliis humoribus, uti semine, pure, pituita simul emissa, commixtum; crystallinum (qui crudus est) ortum invenimus ex bilis defectu caloreque haud exiguo; flavum ex humoribus biliosis vel rebus indigestis, uti ex adhibito croco vel rheo,

vel e diureticorum calidiorum usu; rubicundum ex sanguine ab ulcere admixto, vel per vasorum rupturam vel per anastomosin et diapedesin excreto; viride e bile aeruginosa a calore exurente vel a colliquationibus procreata; lividum et nigrum ex humorum melancholia. Quod ad contenta spectat, uti et alii scriptores jam laudati, sedimentum vel suspensum vel nubeculam distinguit, affirmatque: „nihil esse in morbis, quod magis lucem afferre in rebus dubiis possit quam urinarum contentum.“ Habet itaque sedimentum naturale quod certam atque absolutam pollicetur coctionem ac sanitatem, praeternaturale, quod mortem, vel morbi saltem gravitatem, et medium quod imperfectam significat coctionem. Naturale autem formatur ex urinae parte crassiore, idque album, laeve, aequale, vasis fundum petens, pyramidale deprehenditur; alterum est contraria indole, et tertium residentiam quidem facit, haud tamen albam neque aequalem per omne tempus, sed divulsam, in medio haerentem, vel in superficie natantem. Est autem sediminis materia succus ille a Galeno crudus s. crassus vocatus, qui pituitae crassior species, procreatur vel ex intemperie frigida ventriculi, in jecinoris, venarumque morbis frigidis, vel ex ciborum indole ac copia, quae res coctionem minus perfectam reddiderint. Probatur autem haec sententia cum in corporibus sanis, in quibus, quoniam non adest succus crudus, non obviam est hoc sedimen, quod intrante coctione indolem jam supra descriptam adsumit, cum per ventriculi, renum jecinorisque vires succus ille crassus nunc superetur ac attenuetur; qui contra in medio, quod a naturali aut loco, aut substantia, aut forma aut colore, aut laevitate aut aequalitate recedit, minus perfecte vel plus justo est digestus. Praeternaturalis autem triplex potissimum est discrimen: vocatur enim

crimnoides, quod crassiori farinae simile est, vel furfuraceum, quod furfurum, et squamosum, quod squamarum sequitur formam; oritur autem si succo illi alius humor uti sanguis vel flava bilis et nigra admiscetur, quo etiam fit, ut lividum, nigrum, viridem, flavum vel talem assumat colorem. Furfura tamen et ex epidermide vesicae sublata, vix uti antiquiores nonnulli crediderant e scabie et calore tam ingenti qui venarum parietes exsiccet, originem ducunt; squamulae, uti pus et carunculae ex ulcere fieri possunt; quo in casu tamen non est negligendum, pus vel sanguinem e vesica urinaria profectum, mox post urinae emissionem residere, quod non fit si ex renibus pervenerit; nonnunquam etiam quasi pili animadvertuntur, qui in renibus parantur e crassa materie in longitudinem protracta et calore exsiccata. Contentis quae in urinae superficie observantur, adnumerat auctor coronam i. e. circulum illum, quem vesiculae, e melancholia cum pituita invicem mixtis, orientes vasique inhaerentes efficiunt; bullas dein, quae aquae ebullientis formam simulant; tertio loco spumas, quae uti bullae e crassa, viscida et pituitosa materia per calorem et motum exagitata componuntur, ultimo denique pinguedinem, quam duplicem facit; olei enim fusi similem vel magis exsiccatam in modum furfurum supernatantium distinguit, semper tamen ex adipis circa renes sive circa alias partes colliquatione exoriri affirmat.

Neque urinae quantitas semper eadem est; mox largior mox parcior fluit; et illa quidem originem ducit e renum jecinorisque adaucta industria ac vasorum amplitudine, vel e potu copiosiore, sudoris vel alius excretionis suppressione, aëris frigiditate, et ex otio vel seri colliquatione; haec tamen e contrariis fit rebus et in febribus ardentibus ac hecticis obviam est.

Sed ad praesagia ex urinis transeamus, quae Hercules noster diligentissime exposuit atque explanavit. Perspici inde posse docet, et qualis sit vis naturalis (intemperiem calidam et frigidam denominat) vel totius corporis, vel singularum partium, et qualis sit febris in genere ac in specie, humorumque omnium singulorumque conditio et alia, de quibus singulis jam agemus. Calidam igitur intemperiem universam febresque indicant urinae coloris rufi, subrufi, crocei, rubei, viridis et atri; saepe paucae, praesertim si simul acres sunt et oleosae; eae porro quae sedimen faciunt squamosum vel furfuraceum. Ex his tamen rufae et subrufae ephemeras significant, oleosae colliquationem, furfuraceae et squamosae ulcera vesicae ac renum. Quae tamen omnes urinae et jecoris, et renum, et vesicae calorem ostendere possunt; quin etiam pulmonum, cerebri, aliarumque partium adfectus ex urina cognoscere licet, quod ex duplici ejus compositione, jam supra declarata, probari potest; his partibus male adfectis copiosior tamen et crassior est, et quoad colorem illis humoribus similior, quibus jam fuit admixta; in tali tamen praesagio admodum cautus sit medicus oportet, et omnia reliqua symptomata cum urinae indole comparet. — Calor contra minutus, et quidem non solum partium urinam generantium, sed etiam ventriculi (uti ex diabete, potum immutatum excernente, vel e sedimine crassissimo, e succo crasso haud digesto, orto) cerebri, uteri aut totius corporis, cum uti calorem sic et frigus a venis cum aliis partibus communicatum assumat, deprehenditur ex urina alba et tenui, quae nullum sedimen, vel divulsum, inaequale et asperum praebet vel bullas. Etiam stranguria frigus denotat, haec autem, ubi simul cum doloribus juncta est et humorum acrimoniam et inaequalem intemperiem arguit. —

Febres putridae in genere cognoscuntur ex urinis crassis et conturbatis, quae non clarescunt, cum calor praeternaturalis bonos humores cum malis miscuerit et colliquationem provocaverit; et e croceis porrò et colorem viridem, rubeum, rubrum, fuscum, lividum, nigrum et atrum prae se ferentibus, quum e materia fiant valde exusta, quae absque ingenti putredine exuri non potuerit. Nigra tamen nonnunquam absque omni febre et vitae periculo in melancholicis observatur. Putredinis porro suspicionem habet nubeculae forma circularis; nam cum urina crassa sit, sedimen fundum petens ostendere deberet, quod autem ingenti calore, motum sursum ac deorsum, qui corporibus sanis est naturalis, in circularem qui violentus est et naturae oppositus, immutante, impeditur. In specie autem hae febres reliquis tantum symptomatibus diligentissime simul observatis, dignosci possunt.

Cognoscitur porro ex urina mala partium compositio, praesertim earum, quae urinam generant et colorant ac reservant; sic alba: obstructiones venarum pituitosas; tenuis et nigricans: melancholicas denotat, in quibus natura concoctionem adhuc haud ingressa est; hac enim facta crassae evadunt. Eadem lotii indolis, alba scilicet et tenuis in renum obstructionibus per calculos aliasque materias observatur; crassa autem et biliosa in obstructa vesica fellea, in hepatis tumoribus et inflammatoriis et chronicis. Vix contra solutus partium contextus ex urina perspici potest, uti luxatio, fractura, numerus auctus vel deficiens, ita et scirrhi, inflammationes recentes, variique abscessus. Huc etiam referantur necesse est deliria, phrenitis, dolores capitis, convulsiones, apoplexia, qui morbi non ut Hippocrates et Galenus affirmant, semper lotio sese manifestant; sed symptomatibus tantum reliquis observatis ex urina turbida, intense flavescente vel

rubescente vel vineum praebente colorem delirium instare conjici potest; sic etiam si tenuior fieri inceperit et parcior, quo facto materia magis in caput convertitur. Contra tamen et tenuis in temperamento frigido phrenitin non indicabit: quod autem contingere potest si fuerit nigra, viridis, rufa; sic porro urinae tenues et albae in obstructionibus hepatis et corpore bilioso excernuntur absque periculo; delirium autem suspensiones in crassa urina, praesertim si pravos habent colores, indicant.

Praesagium dein stabiliri potest brevine morbus an longiore tempore absolutus futurus sit; urina enim cocta, quae brevi finitum fore promittit, in corporibus pituitosis, pueris, mulieribus, aliisque otiose viventibus, mediocris est substantiae colorisque subflavi, cum sedimine albo, laevi, aequali; in temperamentis autem biliosis cum sedimine bilioso, in quibus etiam, si tenuiter vixerint, et corpus exercuerint, color solus ac substantiae mediocritas coctionem ostendit. Saepe etiam urinae, quae incipiente morbo crassae fuere, criseos tempore attenuantur et copiosiores emittuntur, absque tamen sedimine. Respiciendum autem simul est ad morbi stadium: in primo quidem sunt albae, tenues, sine sedimine, sed si mox corrumpuntur coctionem instantem significant; in altero autem si coctio obscura jam adest, magis vineae apparent et tenues cum nubecula alba; dein crassae, quae non subsident, vel crassae, quae tantum propter gravitatem resident, denique crassae cum nubecula crassa, inaequali, divulsa, circulari. Progresso autem morbo manifestam coctionem indicant: crassae, quae clarescunt; moderatam porro substantiam, bonumque colorem exhibentes, etsi absque sedimine sint aut nebulam tantum habeant, quamvis morbus non sit biliosus; aut quae habent suspensum ac nebulam, albam quidem sed divulsam, non plenam

et ex partibus dissimilibus compositam; vel quae sedimina faciunt alba, lenia, sed non aequalia, uno tantum die apparentia, altero non occurrentia. — Si autem primo quaternario urinae plane sunt crudae, longissimum significant morbum; si obscuram habent coctionem etiam longum, priore tamen breviorem; si contra manifesta coctio adest, morbus inter longas non est numerandus.

De futura autem morte vel salute dubium est quam maxime praesagium; nam cum multi habeant morbi nullam vel exiguam cum urina communicationem, uti capitis, thoracis, atque inflammationes, multi etiam phrenitici, lethargici vel peripneumonici ac pleuritici diem supremum obeunt cum eorum urina talis sit, qualis est sanorum; quid? quod etiam ex iis urinis, quae sanis contrariae sunt, certum de morte judicium non est ferendum, nam per coctionem bonae adhuc evadere possunt; qua ex re vires simul ac aetas ac morbus ipse, aliaque symptomata in censum vocari debent; et ex turbata, crassa, inaequali, dispartita, oleosa urina mors tunc demum suspici potest, si omnia alia symptomata mala sunt. E coloribus autem praesagium etiam incertius, nam critico modo saepe pravi humore permixta, pravum prae se ferre potest colorem; sic veluti in quartana nigra salutaris observatur. Neque foetor certum est signum exitiale, nam renum, vesicae aut uteri ulcus saepius sequitur aut ciborum assumptorum proprietatem; neque ex quantitate; copiosae enim vel colliquationem, vel totius corporis purgationem indicare possunt. Ergo etiam non unum in urinis signum est inspiciendum sed plura simul; et vis naturalis et morbi vehementia et tempus quo excreta est. Hisce denique, uti credam, haud inepte expositis in libelli fine *Hercules* cautelas etiam affert haud spernendas, quae observandae sunt an-

tequam de lotio inspecto judicium feratur. Sunt autem haecce: Urina rebus externis, dum inspicitur, non debet turbata et confusa esse, quodsi factum est, substantia et color restitui possunt vase super igne posito; obtectum porro esse debet urinae vas, ne pulvis admisceatur, neque igni expositum sit, ex quo assumit urina colorem rubeum aut fuscum et lividum; inspicienda est et nuper emissa et diutius servata, ut odor et contenta melius inquiri possint. Vas in quo recipitur vitreum sit, crystallinum, absque oleo, mundum, amplum et rotundum ut totam urinae copiam una vice emissam capiat et hypostasis formari possit; neque in umbra, neque in multo lumine eum consideret medicus, mox tamen ex longinquo mox ex proximo. Medicus insuper sit exercitatus ac cautus ne decipiatur, hominesque, qui urinam porrigunt utrum subdoli sint, qui medicum decipere cupiant, nec ne, contempletur; et oculorum acie sit instructus ne quid eum fugiat.

Haec vero ad ingenium, quo medici Sec. XVI. Semioticum instauraverint studium, quod quidem solum indagare libelli propositum erat, demonstrandum sufficiant. Siquidem allatis quaedam falsa insint mixta veris, valde dubia inspersa bonis et expertis, nonnulla magis opinioni quam observationi consentanea, plurima veterum tantum auctoritate freta minusque experientia nostrorumque temporum saniori judicio probanda, illa tamen ad ea quae Semiotice postea cepit incrementa melius dijudicanda fortasse valeant. Res vero seculi erat, mutatis auspiciis, in omnibus nova veteribus substruere fundamenta, non perfecta exstruere aedificia. Ut Pseudohippocraticorum Galenique vestigia jam plane desererent tamdiu pressa, ab iisdem qui modo illos recognoscere meliusque intelligere inceperant, haud erat postulandum: quod in obser-

vandi et experiendi studio quasi recens nato non artis jam attigerint fastigium, illis haud quisquam medicis verterit in vitium. Sed laudanda certe voluntas probandusque labor, si vel rei expediendae ipsi non ab omni parte suffecerint vires: quod tam de illorum animadvertant operibus, monitos velim lectores, quam ut de meo qualicunque opusculo cogitent aequi judices, precor.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum ego Carolus Friedericus Fabricius, Idibus mensis Julii anno hujus saeculi XII Lignitii patre optimo Carolo Fabricio, a re judiciaria consiliario regio, quem, pro dolor, jam ante abhinc annos quatuordecim praematura morte mihi ereptum lugeo, matreque Wilhelmina e nobili gente de Bomsdorff, quae, eheu, edito partu octimestri, simul cum fratre meo gemello mox ultimum duxit spiritum. Tamen per Deorum gratiam mihi contigit, ut ejus sororem usque ad hodiernum diem matris partes quam optime erga me explentem, incolumen colere possem, quamque ut per longum adhuc tempus Numen propitium servare mihi velit, instantissime precor. — Primis literarum studiis ludo privato imbutus, puer quatuordecim annorum in Academiam equestrem, urbe paterna auspiciis celeberrimi professoris Dr. *Becher*, viri, profunda eruditione ac insigni humanitate ornati, florentem, receptus, per sex integros annos ibi sum versatus, studiisque humanioribus diligenter operam navavi, sub auctoritate praeceptorum illustrium, quorum praesertim celeberrimus professor *Keil*, vir magna

literarum elegantia summaque doctrina decoratus, singulari benevolentia me est amplexus, quemque virum spectatissimum, ad cineres usque quam maxime colendum, pio semper gratoque animo recolere nunquam desinam. Anno MDCCCXXXII maturitatis testimonio instructus almam hanc literarum Universitatem adii, ibique ab illustrissimo professori *Schultz,* tunc temporis fascias academicas tenente civium academicorum numero adscriptus, apud illustrissimum professorem *Purkinje,* t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum, nomen rite sum professus. Per quadriennium abhinc hisce interfui praelectionibus:

Ill. Benedict de chirurgia generali ac speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis rite applicandis, de instrumentis chirurgicis, de operationibus in cadeveribus instituendis disserentem audivi. Idem vir illustrissimus, doctrinae profunditate insignis, benignissime veniam mihi dedit ut examinibus de singulis chirurgiae capitibus nec non exercitationibus chirurgico clinicis per annum et dimidium interesse possem; imo etiam privatissime operationes in oculo instituendas practico modo me docuit, quo factum est ut in aeternum quam maxime ei sim obligatus.

Ill. Betschler scientiam nec non artem obstetriciam me docuit et in Policlinico gynaecologico, quod initia sua sub ejus auspiciis cepit et nunc tam gloriose et magnifice floret per annum mihi exstitit dux benevolentissimus, occasionemque mihi praebuit et foeminarum morbos peculiares tractandi, parturientibusque auxilium ferendi.

Celeberr. Burchard repetitorio suo obstetricio interesse benignissime mihi concessit.

Ill. Elvenich Ciceronis orationem pro Archia poëta commentario uberrimo mihi explanavit, psychologiamque egregio modo mihi tradidit.

Ill. Fischer de chemia theoretica ac practica, de pharmaceutica, eaque de corporum organicorum et de reagentiis legentem audivi, concessitque benignissime ut examinatorio de rebus chemicis instituto interesse possem.

Ill. Glocker de mineralogia generali ac speciali,

Ill. Goeppert de botanica speciali, de plantis officinalibus, et de arte, formulas medicas concincinnandi audire mihi contigit, eumque virum illustrem in excursionibus botanicis, ducem optimum, secutus sum.

Ill. Gravenhorst in zoologia universali, in entozoorum historia naturali, et in repetitorio ac disputatorio zoologico, subjunctis demonstrationibus in musaeo, praeceptor mihi exstitit humanissimus.

Ill. Henschel historiam rei medicae ingeniosissime ac doctissime tractantem, magno cum gaudio audivi. Cui etiam viro illustrissimo historiae medicae studii amorem in me excitatum debeo; qui idemque fautor ac praeceptor benignissimus consiliis librisque commodatis in elaborando hoc opusculo benignissime me adjuvit.

Ill. Klose encyclopaediam medicam,

Ill. Nees ab Esenbeck botanicam generalem mihi exposuit.

Ill. Otto osteologiam et syndesmologiam,

tius corporis humani anatomen, nec non anatomen comparatam, et hominum et brutorum pathologicam, historiam foetus, modumque sectiones cadaverum forenses rite instituendi mihi tradidit et in anatome practica dux mihi fuit ad cineres usque colendus.

Ill. Pohl physices hodiernae systema, phaenomenaque electromagnetica, experimentis felicissime institutis,

Ill. Purkinje pathologiam generalem, physiologiam theoreticam et experimentalem nec non toxicologiam, experimentis egregie illustratas mihi exposuit.

Ill. Remer therapiam generalem et specialem morborum apyreticorum nec non febrium, etiamque medicinam forensem ingenti, quo excellit, ingenii acumine explicantem audivisse laete glorior. Idemque vir, summa pietate colendus, maximaque veneratione semper persequendus, in clinico medico-practico, quod tam egregie regit, per biennium mihi fuit moderator gravissimus nec non humanissimus.

Celeberrimus Remer junior morbos syphiliticos me evolvit, et nunquam oblivisear, qua humanitate hic vir experientissimus ad aegrotorum lectos me adjuvit.

Ill. Thilo logicem mihi explanavit.

Ill. Wendt de materia medica, de febribus ac inflammationibus, de morbis ex laesa nutritione oriundis, de syphilide, de praecipuis infantum morbis, splendore, vigoreque, quo constat, verba facientem me audivisse laete profiteor.

Quibus omnibus viris illustrissimis, celeberrimis, experientissimis cum in eo sum ut examinibus rite absolutis summi in medicina ac chirurgia honores in me conferantur, maximas quas possum ago gratias; nec ullum tempus e grato meo animo eorum memoriam exstinguere valebit.

Praeterea autem non possum, quin palam profitear me et medicis adjutoribus in clinicis celeberr. Dr. *Burchard*, Dr. *Jenner*, Dr. *Klose*, Dr. *Koehler*, Dr. *Remer* jun., Dr. *Schoenborn* pro humanitate qua ad aegrotorum lectos consiliis me adjuverunt atque formarunt, in aeternum fore devinctum. —

ERRATA.

Pag. 12. lin. 25. pro Aristoacnus lege Aristoxenus.
- 14. - 7. - phygmologiam lege Sphygmologiam.
- 14. deleta linea 18 lege: *Thieddeg* († 1017 Pragae) et Abbas St. Gallensis.
- 15. lin. 2. pro Electicorum lege Eclecticorum.
- 15. - 17. - Hipdocraticas lege Hippocraticas.
- 16. - 13. - *Foubert* lege *Joubert*.
- 16. - 18. - chyrurgicis lege chirurgicis.

Et reliqua, si occurrant vitia typographica, lector benevole corrigat.

THESES DEFENDENDAE.

I. Dies critici, quos Hippocrates statuebat et hodie valent.

II. Inflammatio chronica non datur.

III. Synchondrotomia nunquam est instituenda.

IV. Syphilis via antiphlogistica non sanatur.

V. Melius ex pulsu quam ex urina morbi dignoscuntur.

VI. Typhus abdominalis exanthematibus haud adnumerandus.